This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

LH
13
35

S4.13.3 Bd. May, 1891.

Harvard College Library

FROM

The Museum of
Comparative Zoölogy.

31 Dec. 1890.

Sh. 13.35

QUAESTIONES HYGINIANAE.

Dissertatio Inauguralis

quam

auctoritate amplissimi philosophorum ordinis

in academia Kiliensi

ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Joannes Dietze

Altonensis.

Adversariorum partes suscipient:

Ferdinandus Schultz, Dr. phil.
Edmundus Kelter, cand. phil.
Franciscus Kehmptzow, cand. phil.

KILIAE.
Ex officina H. Fiencke.
MDCCCLXXXX.

Harvard College Library,
31 Dec, 1900.
Gift of the
Museum of Comp. Zool.

Nr. 2
Rectoratsjahr 1890/91.

Imprimatur: G. Glo
h. t. decanus.

FOERSTERO

pietatis causa.

Capitum index.

I. De recensione fabularum, quae est in codice Frisingensi: p. 1.

1) De diversis fabularum recensionibus; p. 2.

2) De elocutione, quae est in fabulis; p. 9.

3) De aetate et origine recensionis nostrae. p. 18.

II. De vestigiis poesis Latinae, quae sunt in fabulis: p. 25.

1) De fabulis, quas poetae et mythographus communibus fontibus debent; p. 27.

2) De elocutionis poeticae vestigiis; p. 35.

3) De maioribus mutationibus. p. 42.

I.

De recensione fabularum, quae est in codice Frisingensi.

Quot adhuc viri docti de Hygini fabulis scripserunt, tot fere sententias de earum aetate et origine protulerunt. Nunc quidem post Bursiani [1]) disputationem exploratum videtur libelli auctorem a C. Julio Hygino Augusti bibliothecario diversum esse. Cuius sententiam alii gravioribus argumentis comprobaverunt. Viri docti, [2]) qui de catasterismis Pseudo-Eratosthenicis egerunt, fontes astronomiae, quae ab eodem scriptore profecta esse videtur, ante alterum p. Chr. n. saeculum conscriptos esse non posse statuerunt. Equidem haud ignoro a nonnullis fabularum auctorem atque astronomiae eundem esse negari: ea vero argumenta, quae Tschiassnyus stud. Hyg. p. 7 affert, ut utriusque libelli scriptorem diversum esse demonstret, vana esse Buntius et Kauffmannus [3]) ostendunt. Nam quod ille particulam *statim* in fabulis non inveniri, in astronomia saepissime usurpari dicit, vehementer errat; legitur enim in fabulis 36 (p. 67, 18 Schm.) et 45 (71, 10). Gravioribus igitur argumentis opus erit, ut consensum inter Pseudo-Dositheum, qui librum nostrum γενεαλογίαν appellat, et astronomiae scriptorem, qui primum *genealogiarum* librum laudat (II 12), casu ac fortuito factum esse credamus.

Alterum argumentum, quo fabulas ab Hygino Augusteo abiudicandas esse probetur, ad elocutionem pertinet: quam ab aetate

---

[1]) Fleckeisen. annal. phil. XCIII, p. 763 sqq.

[2]) Robert Eratosth. catast. rell. p. 35. 236; Maass anall. Eratosth. (philolog. unters. VI), idem Herm. XIX, p. 116 n. 1.

[3]) Bunte wochenschrift f. klass. phil. VI 1889 p. 124. 125; Kauffmann Berlin. phil. wochenschrift IX 1889 p. 1529.

aurea, quae dicitur, prorsus abhorrere nuper Tschiassnyus recte monet. Nec sane videtur esse in causa, cur in nonnullorum, qui librum epitomen esse censent e libris quibusdam Julii Hygini confectam, sententia refutanda versemur. Comparatis enim Diodori narrationibus mythologicis, [1]) Apollodori bibliotheca, scholiis in Apollonii Rhodii Argonautica fabularum argumenta iisdem fontibus Graecis deberi iisdemque ex hypothesibus translata esse elucet, e quibus mythographi Graeci pendent. Fabularum liber non epitome exemplaris Latini, sed interpretatio exemplaris Graeci est. Eundem fontem etiam multi graecismi, qui in fabulis occurrunt, indicant. Denique ne Julium Hyginum adulescentem libellum conscripsisse cum Teuffelio (hist. litt.[4] § 262. 7) putemus, flosculi poetici impediunt [2]) ex Ovidii metamorphoseon libris sublecti, quos genuino in libro fuisse altera disputationis parte demonstrare conabimur.

I.

De diversis fabularum recensionibus.

Hoc igitur quasi positum ac concessum nobis videtur fabulas a scriptore aetatis Augusteae abiudicandas esse: is autem, cui singulas sermonis Hyginiani proprietates, quae ab hoc tempore abhorrent, penitus cognoscere in animo est, ipsum Tschiassnyi, [3]) qui plerasque congessit, opusculum inspiciat. Jam vero quaestio exsistit, num tempus, quo fabularum liber codice Frisingensi servatus compositus sit, certis finibus circumscribere et definire liceat. Ac primo quidem obtutu certus terminus, ante quem fabulae ortae sint, Pseudo- Dosithei testimonio suppeditari videtur, qui anno 207 se genealogiam Hygini in Graecum transtulisse diserte indicat. Sed quamquam pauca, quae nobis servata sunt, translationis fragmenta *interpretamentorum* libris inserta cum fabulis concinere videntur, nonnulla tamen discrepare ab aliis observatum est.

---

[1]) Bethe quaest. Diodor. mythogr. cap. V p. 80 sqq.: de compendio fabularis historiae Diodoro antiquiore.

[2]) cf. G. F. Unger abh. d. philos.-hist. klasse d. bayr. akad. XVI (1882) I p. 213. 214.

[3]) Est programma Hernalsianum Vindobonae anno 1888 impressum.

Haud ita multum interest Dositheum nonnulla ab Hygino aliena [1]) admiscuisse: offendimus certe in eo, quod eundem librum, qui in codice Frisingensi (F)inscribebatur *fabulae*, *γενεαλογίαν* appellat, concinens, ut diximus, cum astronomiae auctore. Et cum diversas fabularum recensiones iam inde antiquitus exstitisse etiam fragmento rerum Thebanarum a Niebuhrio invento [2]) moneamur, dubitatio exsistit, num ipsa recensio, quam Dositheus in usum suum vertit, ea fuerit, quam codex F. servavit. Operae igitur pretium videtur, id quod adhuc a viris doctis omissum est, fragmenta Dositheana cum capitibus, quae iis respondent, accuratius comparare. In fabula 141 [3]) nonnulla, quae dissentiunt, neglegentiae aut Dosithei aut librarii fabularum videntur tribuenda esse, alia autem sunt gravioris momenti:

Dosith.	cod. F.
συμβουλίᾳ θεῶν	*Cereris voluntate.*
cf. Ovid. met. V,559 *facilesque deos habuistis.*	
Dosith.	
μετεμορφώθησαν εἰς ὄρνεα κεφαλὰς μόνον ἔχουσαι.	*volaticae sunt factae.*
cf. Ovid. met. V, 552. *vobis, Acheloides, unde pluma pedesque avium, cum virginis ora geratis?* 563. *virginei vultus et vox humana remansit.*	

Uberiorem Dosithei narrationem esse genuinam alio fabularum loco docemur, qui non cum brevioribus codicis F. verbis, sed cum Dosithei recensione convenit: c. 125 (108. 10) *ad Sirenas, quae partem superiorem muliebrem habebant, inferiorem autem gallinaceam.* — Multo minus haecce inter se conciliari possunt:

---

[1]) Robert Eratosth. catast. p. 17; Teuffel hist. litt. § 262. 5.

[2]) Schmidt praef. p. XLIX sq.; Teuffel l. l. n. 5 et 8.

[3]) cf. Foerster raub der Perseph. p. 68 n. 4; p. 69 n. 1.

Dosith.	codex F.
διὰ τὴν ἁρπαγὴν Περσεφόνης θρηνοῦσαι.	*Proserpinae raptu aberrantes.*

Bursiano autem, qui discrepantiam tollere studet, cum in recensione codicis F. *raptum plorantes* conicit, propter alteram illam discrepantiam assentiri nobis non licet. Id quidem statuendum est exemplaria utriusque dissentire, Dositheanum autem praeferendum esse. Sed exitum fabulae ab interprete Graeco in brevius contractum esse perspicuum est; cf. cum verbis codicis caput 125 (108. 11).

Gravius vero exstat testimonium recensionem Dositheanam a nostra non modo diversam fuisse, sed nonnumquam etiam integriorem servasse textum: fragmentum dico, quod est de Tantalo, comparatum cum verbis codicis:

Dosith.	F. c. 82 (82. 20).
τὰ κάλλιστα τῆς ὀπώρας, ὅπως βλέπῃ καὶ μὴ θιγγάνῃ.	*poma ei super caput pendent, quae cum vult sumere rami vento moti recedunt.*

Munckerus codicis verba esse censuit glossatoris. Nunc verba non insiticia, sed ex genuinis, quae Dositheus indicat, ita mutata esse discimus, ut verba antecedentis enuntiationis huc transferrentur:

c. 82 (82. l. 20).	l. 19.
poma ei super caput pendent, quae cum vult sumere rami vento moti recedunt.	*cum haustum aquae vult sumere, aquam recedere.*

Quod fragmentum illud Dositheanum continuo fabula, quae est de Philyra, excipitur, non est, quod lacuna statuenda esse videatur, praesertim cum Dositheus in catalogo fabularum, quas enarraturus erat, Tantali fabulam ante Philyrae fabulam collocet. Apparet igitur verba fragmenti in exitu capitis Dositheani fuisse, ea autem, quae in codice F. e Lucretio [1]), ut videtur, adduntur,

---

[1]) III 980. 981 Lachm.
Nec miser impendens magnum timet aere saxum Tantalus.

post Dosithei aetatem interpolata esse. Et redolent verba interpolatoris ingenium, praesertim cum ipsa quoque ex antecedentium analogia repetita sint:

l. 21.	l. 20.
Item saxum super caput eius ingens pendet, quod semper timet ne super se ruat.	*Item poma ei super caput pendent.*

Denique etiam in fabula, quae de Philyra est, Dositheus integriorem textum videtur adhibuisse:

Dosith.	cod. F. fab. 138.
Φιλύρα δὲ αἰσχυνομένη διὰ τὴν ἀθεώρητον τοῦ τέκνου μορφὴν θεῶν ἐλέει εἰς ὁμώνυμον δένδρον ἠλλάγη.	*Philyra postquam inusitatam speciem se peperisse vidit, petit ab Jove, ut se in aliquam speciem commutaret, quae in arborem philyram hoc est tiliam commutata est.*

Verba codicis F. molesta quadam loquacitate laborant, quae Dositheanis deest. Cum Dositheo praeterea, qui *θεῶν ἐλέει* Philyram transformatam esse dicit, locus astronomiae II 18 consentit: *quae deorum voluntate in equam conversa.* Quamquam verba scholii Strozziani in Germanici Aratea, quo fabula Hyginiana adhibetur (VI p. 178; Robert Erat. cat. p. 215), breviora sunt, quam ut certi quicquam de genuina enuntiationis forma statuere possimus.

Ex iis, quae adhuc disputata sunt, apparet in paucis fabulis, quae omnino comparari possunt, aliquot esse corruptelas et interpolationes, quibus textus noster laborat, Dositheus caret. Proximum est, ut inquiramus, num ea, qua libellus traditus est, condicio alias ansas praebeat, quibus fabulas non integras, sed retractatas exstare cognoscamus. Peropportune accidit, quod complures praeterea testes antiqui servati sunt, quibuscum recensionem nostram conferamus, fragmentum Niebuhrianum et codex Strozzianus, quorum illud, vel quod saeculo V vel VI exaratum est, gravioris momenti est. Res Polynicis in codice Frisingensi bis iisdem fere verbis enarrantur, capitibus 68 et 71 b. Quae cum ita sint, non alienum videtur quaerere, num omnino fieri potuerit, ut auctor libri eandem rem bis iisdem verbis explicaret. Certe

ea, quae post caput 71 a est, narratio, ineptissimo exstat loco. Iam quoniam verba fragmenti Niebuhriani, quae de Polynice sunt, non capiti 71 b, sed capiti 68 respondent, hoc genuinum esse probabile est. Demonstrari autem potest alteram retractatam narrationem, quam caput 71 b praebet, in fragmento, id est in integriore recensione, non fuisse. Nam is, qui capite 71 b verba fabulae 69 repetiit, extrema, quae de Menoecei morte voluntaria et in fragmento legebantur et in fabula codicis F. sunt, omisit. Quid? quod eadem, quae hic ab illo omissa sunt, iterum leguntur in fabula 67 (74 l. 1—4), quo loco ineptior inveniri non poterat. At scriptor fragmenti Niebuhriani hanc interpolationem nondum novit; verba enim eius sunt:

incidit Thebis sterilitas et pestilen(tia ob Oedipodis scelera). *interim* (P)*eriboca Polybi regis uxor* . . .

Eundem igitur interpolatorem, cui additamentum de Menoecei morte in capite 67 debetur, caput 71 b ita confecisse statuo, ut verba capitis 68 in usum suum verteret. Itaque genuino capiti 68 (= frg. Niebuhr.) respondent interpolata 71 b+67 p. 74 l. 1—4.

Exemplum capitis interpolatione geminati, quale id fuit, de quo disseruimus, in Hygini fabulis non semel occurrit. Idem de Phaethontis fabulis Robertus [1]) sagaciter statuit collatis scholiis Strozzianis in Germanici Aratea. Narratur haec fabula bis, capitibus 152 et 154, quorum prius ad fontes Graecos redit, alterum Ovid. met. I, 748—II, 400 respicit, sed ea ratio inter illa capita intercedit, ut communem utriusque exitum, quo Heliadum nomina et Cycni transformatio commemorantur, caput 154 praebeat. Scholia autem Strozziana (V 174 s., Robert Eratosth. p. 214 s.), ut alteram de Phaethonte fabulam, cuius verba partim ex Ovidio sumpta partim insolentius ficta esse apparet, omittunt, ita praeter priorem fabulam etiam posteriorem capitis 154 partem ad verbum fere reddunt. Inde elucet fabulam Ovidio debitam in integriore recensione lectam non esse. Ita autem interpolator duas fabulas ex una fecit, ut fabulae a se additae extrema genu-

---

[1]) Eratosth. catast. p. 216, Herm. XVIII, p. 454 s.; M. Mayer ibid. XX, p. 135 s.; Knaack quaest. Phaethont. p. 1 s. et Herm. XXII, p. 640 n. 1.

inae verba agglutinaret, idque sibi videtur proposuisse, ut narrationi Hyginianae suam opponeret illamque nova ac contraria ratione enarraret, cum pleraque ad Ovidium accommodaret:

c. 152.	c. 154.
Phaethon Solis et Clymenes filius.	*Phaethon Clymeni Solis filii et Meropes nymphae filius.*
cum clam patris currum conscendisset.	*cum indicio patris avum Solem cognovisset.*
et altius a terra esset elatus.	*cum esset propius terram vectus.* cf. Ov. met. II, 207. *spatio terrae propiore feruntur.*
sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt.	*sorores Phaethontis, dum interitum deflent fratris, in arbores sunt populos versae.* cf. Ovid. II, 340 s.

Haud secus res Meleagri, quae capitibus 171 et 172 prolatae sunt, capite 174 repetuntur. Mythographus, ubi vaticinationem Parcarum, quae Althaeam de ligno fatali monent (171), et causam, qua commota Diana aprum Calydonium miserit (172), exposuit, post enumerationem eorum, qui venatum ierunt (173), easdem res denuo iisdem fere verbis enarrat (174 p. 29 l. 7—13) et fabulam ad finem ducit. Et quoniam supra antiquae recensiones testabantur easdem fabulas non ab auctore libelli bis enarratas esse, etiam capitis 174 pars prior interpolatori [1]) tribuenda videtur, ut quae non modo narrationem antecedentium capitum in brevius contraxerit, sed etiam mutilaverit; cf. verba insulsa: *ibi in regia dicitur titio ardens apparuisse.* — Ceterum hoc loco facile est ad cognoscendum, qua causa interpolator adductus fabulam iterum enarrarit. Neque enim iusta occasio data erat initii fabulae repetendi, nisi contextus narrationis rebus in medio positis interrumpebatur. Quod quidem nostro loco catalogo eorum, qui ad aprum Calydonium ierunt, interposito factum videtur esse. Ac ne catalogo quidem manus interpolatoris pepercit: verba [2]) enim

[1]) Lange de nexu p. 18 s., Bursian Fleckeisen, annal. phil. XCIII, p. 772, Schmidt praef. p. XLII.

[2]) cf. Schmidt philol. XXV, p. 424.

(28. 18): *Plexippus Ideus Lynceus Thestii filii fratres Althaeae* nata sunt ex versibus Ovidii met. VIII, 304. 305 perverse intellectis:

et duo Thestiadae, proles Apharcia, Lynceus
et velox Idas.

Vera fratrum Althaeae nomina Hygino nota fuisse caput 244 (136. 20) docet, quo Plexippus et Agenor nominantur. Interpolata autem nomina etiam in caput 174 irrepserunt.

Semeles mors iisdem fere verbis capitibus 179 et 167 refertur, e quibus illud praeferendum esse vel propter ordinem, quo fabula enarratur, probabile videtur esse. Neque ulla dubitatio relinquetur, si verba conferemus utriusque capitis:

c. 179.	c. 167.
Iuno persuasit, ut peteret ab Iove, ut eodem modo ad se quomodo ad Iunonem veniret, 'ut intelligas', inquit, 'quae sit voluptas cum deo concumbere.'	*Iuno ait: 'alumna, pete a Iove, ut sic ad te veniat, quem ad modum ad Iunonem, ut scias, quae voluptas est cum deo concumbere.'*[1]

Caput 167 unicum fabularum locum exhibet, quo indicativus in interrogatione obliqua pro coniunctivo usurpatur.[2] Fabulam 4, quae easdem res, quas fabulae 1 et 2, narrat, spuriam esse Bursianus l. l. p. 772 e diversa declinatione nominis *Inus* perspexit. Eandem denique rationem inter capita 169 a et b, 180 et 181, 13 et 22 p. 53 l. 10—13, 50 et 51, 87 et 88 intercedere veri simile est,[3] e quibus capita 169 a, 180, 13, 51, 88 exemplaria ceterorum videntur fuisse.

In percensendo igitur fabularum statu vestigia capitum occurrere cognovimus, quae, cum retractata sint ac duplicata, formam fabularum nobis traditam non ab ipso auctore profectam, sed variis aliorum additamentis infectam esse magno sunt documento. Quocum alia, quae a viris doctis observata sunt, concinunt. Maxime cum eo retractandi genere, quode supra disseruimus, studium convenit singulas fabulas ita in duas dividendi, ut

---

[1]) cf. p. 13.

[2]) Tschiassny stud. Hyg. p. 23 n. 50; cf. Bursian Fleckeisen. ann. phil. XCIII, p. 776, Schmidt praef. p. VIII.

[3]) cf. Lange de nexu p. 18, Bursian l. l. p. 772, Robert Herm. XVIII, p. 436 n. 1, M. Mayer ibid. XX, p. 119.

extrema prioris verba repetantur initio posterioris. Exemplo sunt capita 103 (Protesilaus) et 104 (Laodamia), quae olim separata non fuisse praecipue iteratione verborum vix ferenda *dolorem pati non potuit* docemur. Cuius rei exempla a Schmidtio praef. p. XXXVIII sqq. collata sunt, e quibus gravioris momenti esse puto exitum fabulae 119 *quem postea furiae matris exagitarunt* comparatum cum initio fabulae 120 *Orestem furiae cum exagitarent.* Ut nonnulla, quae cohaerent, divulsa, ita alia, quae nullo vinculo inter se coniungi possunt, conglutinata sunt. Quo in numero caput 182 habendum est. Initia praeterea fabularum a posterioribus adaequata esse locutiones nonnullae, quae in exordiis earum moleste iterari solent, videntur docere; cf. initia capitum 185 *(Schoeneus Atalantam filiam virginem formosissimam dicitur habuisse)*, 186, 187, 188, 199, 204, 80 (81. 15) et 92 (87. 22), 110 (99. 6). Ad extremum pauca de ordine, quo fabulae enarrantur, addere liceat. Nam quamquam Schmidtii transponendi rationem nemo, qui quidem sobrius sit, probabit, negari non potest haud exiguam esse confusionem in capitum collocatione. Velut Sirenum fabula capite 141 inter Pythonis et Pandorae fabulas enarratur, ea vero, quae de Proserpina sunt, quae artissime cum illa cohaerent, sequuntur in capite 146. Item caput 183 non esse suo loco nemo non concedet. Et quoniam nonnulla in libello contra auctoris sententiam disposita esse constat, pristinum autem ordinem restitui posse desperandum est, idem, quod supra, agnoscamus oportet totam recensionem ab integriore diversam esse. Sed iam, cum in animo sit diligentius enucleare, qua ratione et quo tempore libellus in eam, quam nos habemus, formam redactus sit, ad elocutionis observationem transeamus, ut sermonis discrepantia perspecta firmius de tota re sit iudicium.

2.

De elocutione, quae est in fabulis.

Denuo initium capiamus a fragmentis ceterarum recensionum conferendis, quorum hoc quidem loco maxime Niebuhrianum illud comparatione dignum videtur esse. Tum enim eam, quam inter diversas recensiones esse agnovimus, discrepantiam etiam ad res pertinere minutiores et sermonis proprietates, quas fragmentum

Niebuhrianum a recensione nostra diversas praebet, longe praeferendas esse apparebit. De iis, quae gravioris momenti sunt, infra uberius disputabimus: hic pauca indicare satis habeo:

c. 67.

frg. Niebuhr.	cod. F.
sterilitas et pestilen(tia).	*sterilitas frugum et penuria.* [1])

c. 68.

depugnantes.	*pugnantes.*
(fumus se nunquam) *in unam partem vertit, sed se in duas . . .*	*fumus se nunquam in unam partem convertit, sed alius alio seducitur.*
Thebanus.	*Thebani.*

c. 69.

Adrastus Talai filius habuit . . . . huic ab Apolline responsum fuit . . . daturum.	*Adrasto Talai et Eurynomes filio responsum ab Apolline fuit cum filias suas Argiam et Deiphilam apro et leoni daturum in coniugium.*
(pelle aprine)*a tectus.*	*aprinea pelle opertus.*
eodem tem(pore). [2])	*sub eodem tempore.*
in venando.	*in venatione.*
(pelle le)*onis opertus.*	*pelle opertus leonina.*
memor sortis.	*memor sortium suarum.*

Sed haec mittamus: nunc satis est cognovisse in recensionibus diversis elocutionem esse retractatam. Iam quaeritur, num ipso textu, quem codex F. praebet, elocutionem non unam eandemque esse, sed aliorum manibus mutatam exstare confirmetur. Qua in re accuratius pervestiganda Tschiassnyi illa commentatio magno est emolumento, qua cum suo iure eorum, qui librum epitomen ex Julii Hygini operibus factam esse putant, sententiam refutat, diffusum sermonem eumque discrepantiarum plenum omnibus immixtum esse libelli partibus dicit. Idem tota fere dis-

[1]) Haec est locutio recensionis Frisingensis etiam aliis locis: c. 2 (38. 16), c. 27 (56. 7), c. 88 (85. 9).

[2]) Redditur mythographo dicendi genus in meliore latinitate usitatum.

putatiuncula illud quidem demonstrare studet Hygini studium et variandi et diversas eiusdem notionis structuras adhibendi proprium fuisse. Quamquam autem negari non potest omnes fere scriptores quodam modo sibi inconstantes esse ipsa in ratione grammatica, tamen orationem tam misellam tantisque mendis abundantem, qualem Tschiassnyus vult, eamque inconstantiam dicendi, quam codex F. habet, in libro alterius p. Chr. n. saeculi scholarum usui destinato [1]) exstare potuisse nemini persuadebit. Accuratius igitur nonnullas eiusmodi variationes consideremus. Verbum *obruendi* hisce cum casibus coniungitur: c. 171 (28. 3) *in media regia obruit;* 147 (21. 5) *in igne obruebat;* 171 (28. 4) *ne ab igni obrueretur;* 195 (125. 13) *in terram obruerunt;* 105 (96. 17) *in tabernaculum obruerat;* 144 (23. 8) *cinere obrutum;* 125 (109. 10) *ex arborum foliis se obruit.* [2]) — Mirum est post nonnulla verba infinitivum, accusativum cum infinitivo, coniunctivum, *ut* cum coniunctivo promiscue usurpari: c. 27 (56. 1) *Persi responsum fuit mortem cavere,* 84 (83. 9); c. 3 (39. 18) *responsum fuit mortem caveret;* c. 66 (72. 18) *Laio erat responsum, mortem ut caveret,* 88 (85. 10), 120 (103. 13) etc. — c. 54 (59. 7) *fatum fuit fortiorem fore,* 178 (34. 20); c. 125 (108. 11) *harum fatum fuit tamdiu vivere;* c. 63 (61. 23) *huic fuit fatum, ut interficeret.*

Eiusmodi exempla sescenta fere e Tschiassnyi libro colligi possunt. Vehementius vero offendimus, si altera earum, quae occurrunt, constructionum generi dicendi, quod ante Dosithei aetatem fuit; non respondet. Huc in primis referendos censeo vulgarismos illos, qui vocantur, fabulis cum scriptoribus ecclesiasticis communes, qui inde a divinorum librorum interpretibus integritatem sermonis Latini depravare coeperunt. [3]) Credi enim vix potest

---

[1]) cf. verba Dosithei: *ἀλλὰ καὶ οἱ γραμματικοὶ τέχνης ταύτης οὐ μόνον ἐπαινοῦσιν τὴν εὐφυΐαν, ἀλλὰ καὶ χρῶνται.*

[2]) Haud ita dura est variatio capitis 175 (Tschiassny p. 32): regno expulit et e regno expulit; cf. frg. Niebuhr. c. 69 e regno (expulsus). Praepositionem a in capite 242 (135. 3) expulsus a regno a Diomede ex analogia posterioris corruptam esse manifestum est.

[3]) Ut verbum miserendi cum dativo coniunctum (c. 58 p. 60. 21) fabularum auctori cum Tschiassnyo p. 28 tribuere vereor: in astronomia semper recte genetivus usurpatur.

huiusmodi exempla in libro studiis ingenuis dedicato altero saeculo lecta esse. Velut verbum *certandi* ab Hygino et activa et deponentiali forma adhibitum esse Tschiassnyus p. 12 censet. At *certati sunt* semel in capite 273 (148. 3) legitur, cum paulo post in eodem capite (149. 1) sequatur: *certarunt sagitta*. Prior forma ante Italam non invenitur. Idem iudicandum esse censeo de formis *belligerare* et *belligerari* (fab. 274 p. 151. 9 ἅπαξ εἰρ.) et, quas Tschiassnyus omisit, *tutare* et *tutari*. Neque enim credo eundem, qui c. 219 (129, 8) *si se ab hoste tutatus esset* (cf. c. 120 p 103. 19; c. 140 p. 18. 4) scripsit, alio loco praetulisse: *si se ab hoste tutasset* (c. 100 p. 93. 15). Similis ratio in usum verborum *persequendi* et *conflagrandi* cadit. Illud passiva significatione indutum, ut in capite 198 (126. 18, Rönsch *Itala* p. 388, Tschiassny p. 12), habent Itala, Augustinus; *conflagrare* nonnullis locis notionem intransitivam accipit (Tschiassny p. 13, adde c. 25 p. 55. 9). Transitivus usus fabulae 179 (35. 12)[1]) communis est cum scholio Horatiano epod. 5. 63, quamquam passiva eiusdem verbi forma transitive iam a prioribus adhibetur.

Idem, quod de variatione generis verbi significationisque transitivae, de accusativo et ablativo post verba *quiescendi* et *movendi* sine discrimine posito iudicandum est idque meliore iure, quoniam Sittelii observationibus nitimur. Et cum hic quoque Tschiassnyus inconstantiam Hygini agnoscere sibi videatur, primum nonnulla ex exemplis, quae p. 29 sqq. congessit, eligamus ac conferamus:

c. 15 (50. 9).	c. 72 (76. 3).
in navem imposuit.	*in eadem pyra imposuerunt.*
c. 190 (121. 18).	c. 136 (116. 1).
includi in cubiculum.	*in monumento includi.*
c. 140 (18. 4).	c. 139 (17. 7).
in insulam eam Ortygiam detulit.	*in Cretensi insula detulit.*
c. 45 (71. 3).	c. 42 (70. 14).
in coniugium haberet.	*in coniugio habiturus.*[2])

[1]) Si Iovis venit et Semele (F.: Semelem) conflagravit cum Schmidtio scribimus, totam constructionem interrumpi patet.

[2]) Non huc pertinet in coniugio avexisset in fabula genuina 51 (58. 2), quod ἐν ξυνωρίδι significare Schmidtius recte monet.

Sed video Kauffmannum [1]) exemplorum, quae usui legitimo repugnent, numerum haud ita magni aestimare. At intolerabilis est variatio, quae in eodem capite cumulatur: c. 186 p. 118. 14 *in venatione exierint,* p. 118. 15 *in montem exissent* — c. 74: *in terra puerum deponeret, in terram deponere, apium in quo puerum deposuit.* Sittelius [2]) autem nos docet maiorem numerum exemplorum, quibus ablativus post praepositionem *in* pro accusativo ponitur, primum apud Tertullianum occurrere, eiusdem autem praepositionis cum accusativo loco ablativi coniunctae usum multo rariorem ac Tertulliani, Arnobii, Porphyrionis proprium esse.

Equidem quamquam haud ignoro, quam lubrica sit materia, in qua versamur, quamque facile nos possit decipere, haec tamen non tam confidentur dicere ausus essem, nisi diversae recensiones testimonio essent sermonem, quem codex F. praebet, ea, quam supra attigimus, ratione a posterioribus retractatum esse. Saepius quidem in fabulis verba loquentis ita redduntur, ut oratio recta, quae vocatur, verbumque *ait* adhibeatur: c. 95 (89. 8) *ait: simulatione deposita inter coniuratos veni*; cf. Schmidt praef. p. XXVI, Tschiassny p. 25; c. 190 (121. 12) *Apollo respondit: pro meo sacerdote vade;* c. 191 (122. 6) *Apollo Midae dixit: quale cor in iudicando habuisti, tales et auriculas habebis* etc. Schmidtius l. l. his locis 'interpolatorem audire sibi videtur pro incultiore ingenio horridiore oratione usum', sed argumenta non affert. Iam vero supra vidimus eum, qui fabulam 167 e fabula 179 repetiit, pro oratione obliqua, quae erat in exemplari, rectam eamque magis vulgarem adhibuisse:

c. 179 (35. 8).	c. 167 (20. 15).
persuasit, ut peteret a Iove.	*ait: alumna, pete a Iove.*

Peropportune autem accidit, quod scholiis Strozzianis docemur similiter in fabula 194 genuinam lectionem esse depravatam, cum pro recta verbi *inquit* structura prorsus aliena inculcaretur:

---

[1]) Berlin. phil. wochenschrift IX (1889) nr.: 48 p. 1527.

[2]) die lokalen verschiedenheiten der lat. sprache p. 129. 130; cf. Hartel archiv III p. 44.

Strozz. (Robert Erat. p. 212).	cod. F. (p. 125. 1).
quibus ille 'crastino, inquit, die ad delphini monumentum iurabitis.'	*rex respondit: 'crastino die ad delphini monimentum iurabitis.'*

Tales igitur locos non prorsus insiticios, sed a posterioribus depravatos esse probabile est.

In capite 69 nominativus absolutus mirum in modum parentheseos loco usurpatur: (p. 76. 20) *quod cum satellites Adrasto nunciassent duos iuvenes incognita veste venisse, unus enim aprinea pelle opertus alter leonina, tunc Adrastus iubet* etc. At tu si fragmentum Niebuhrianum contuleris, verba, quae illic absolute interponuntur, olim in enuntiatione antecedente lecta neque per vim in constructionem infersa fuisse cognosces: *Tydeus Oenei filius . .* (pelle aprine)*a tectus ad Adrastum venit. Eodem tem*(pore Polynices Oedipo)*dis filius . . .* (pelle le)*onis opertus venit. Hos Adrastus cum* etc.

Saepissime in fabulis modi verbi ita inter se confunduntur, ut praecipue post coniunctiones *quod, dum* coniunctivus ponatur. Hunc morem, quem Fulgentio [1]) in deliciis fuisse non est quod miremur, ipsi scriptori vindicare Tschiassnyus p. 23 non veretur atque etiam in iisdem enuntiationibus utrumque modum omni discrimine remoto adhibitum esse ab eo iudicat. Exstant autem nonnulla exempla a viro docto omissa: c. 80 (81. 21) *Castor prohibere coepit monumentum fieri, quod diceret se eum quasi feminam superasse;* c. 132 (113. 23) *vites excidere est conatus, quod diceret illud malum medicamentum esse;* c. 139 (17. 2) *Saturnus Orcum sub tartara deiecerat, quod sciret.* Hunc tamen usum in pristino exemplari non fuisse in promptu manifestumque est fabula 68 et fragmento Niebuhriano comparatis:

frg. N.	cod. F. (75. 4).
Capaneus quod contra (Iovis voluntatem Thebas) *se capturum dixit . . .* (fulmine percus)*sus est.*	*Capaneus quod contra Iovis voluntatem Thebas se capturum diceret . . . fulmine est percussus.*

[1]) Zink der mythолog Fulgentius p. 47 s., p. 58.

Et eadem inter utramque recensionem modorum discrepantia paulo post iterum invenitur:

frg. N.	cod. F. (75. 12).
etsi ventus vehemens est, (tamen fumus se nunquam) *in unam partem vertit.*	*etsi ventus vehemens esset, tamen fumus se nunquam in unam partem convertit.*

Confusio igitur modorum, id est enuntiationum secundariarum, quae sensum primariarum aut reddunt aut non reddunt, a mythographo aliena videtur fuisse. Fortasse etiam confusio pronominis reflexivi et demonstrativi, quam cum illa artissime cohaerere nemo non videt, a genuina fabularum forma abiudicanda est. Iustam profecto suspicionem c. 139 (17. 2) excitat: *Saturnus Orcum sub tartara deiecerat, quod sciret,* (quod) [1]), *si quis ex eo natus esset, se regno privaret.*

Praeterea recensiones documento sunt vocabula minus usitata postea in textum irrepsisse. In capite 194 (125. 7) usurpatur vulgare illud *crucifigere*. At scholiasta Strozzianus (Robert Erat. p. 213) et Servius ad eclog. VIII 55, qui fabulam Hygini-anam in usum suum vertunt, legerunt *cruci adfigere*. [2])

Qua re perspecta etiam de aliis vocibus a saeculi alterius usu abhorrentibus facilius erit diiudicare. Quamquam accuratissime graecismi Hyginiani segregandi sunt, cum mythographus in hypothesibus Graecis vertendis nonnumquam vocabulis quibusdam novam quandam et inauditam significationem tribuat: cf. *in coniugio* c. 51 (58. 2) — *ἐν ξυνωρίδι; simultatem constituere alicui* c. 22 (53. 6), 51 (57. 22), 67 (73. 14) etc. *ἄθλον προτιθέναι τινί* Diod. IV 73. 3 (= Hyg. c. 84 p. 83. 10: Bethe quaest. Diod. p. 49). Maiorem haud scio an dubitationem excitet verbum *venerandi (ἀφροδισιάζειν)*, quod in c. 75 (79. 19) exstat, itemque verbum *commeletandi* c. 165 (19. 7; cf. *promeletare* Ital., Rönsch p. 249). Sunt plane diversi generis inter voces

---

[1]) Sic Foerstero monente suppleo; cf. Mayen de particulis quod, quia, quoniam quomodo etc. 1889. p. 14. 27.

[2]) Cur Schmidtius in auctoritate capitis 257 (crucifigi p. 142. 21) haereat, non intellego, cum ipse totam de Moero et Selinuntio narrationem Bursiano praeeunte uncis incluserit.

novas fabularurum, quas Tschiassnyus p. 9 enumerat, composita velut *deoptare, abiurgare, compastor* etc. Nec minus suspicione carent *exulatur* c. 26 (55. 16): Lact., Fulgent, Dict. Cret. (cf. Munkerum ad l.); *absconse* c. 184 (116. 14): Itala, Augustin., Firm. Mat. (Rönsch p. 147, 295).

In singulis verbis certae aetati addicendis facile fieri potest, ut erremus: haud ita facile syntaxeos observatio, quam ad extremum servavimus, nos decipiet. Incredibiles vero soloecismi, quorum nonnulli eique sane insignes Tschiassnyum fugerunt, nobis occurrunt. Nominativus quidem absolutus participii per anacoluthi figuram hisce usurpatur locis: [1]) c. 103 (95. 9) *quo impetrato a Mercurio reductus tres horas cum eo colloquuta est;* c. 136 (115. 1) *Laocoon . . contra voluntatem Apollinis cum uxorem duxisset atque liberos procreassel, sorte ductus ut sacrum faceret Neptuno ad littus, Apollo . . dracones misit;* c. 80 (82. 2) *tunc deprecatus Pollux, ut liceret ei munus suum cum fratre communicare, cui permisit.* Omnino negandum est hanc structuram altero saeculo admissam esse. Locum Plinianum (ad. Trai. 23) *ego tamen aestimans novum fieri debere, videris mihi desiderio eorum indulgere posse* lacuna laborare Keilius vidit. At Lucifero Caralitano hunc usum ignotum non fuisse Hartelius [2]) docet similiaque apud Venantium Fortunatum et Victorem Vitensem inveniri idem vir doctus monet.

---

[1]) Diversi generis est c. 84 (83. 15): poenitere eum coepit regis crudelitatem timens; cf. Gell. VII 3. 11: lubitum nobis est attingere reprehensuri (cf. Hertzium ad hunc locum; Gorges de quibusdam sermonis Gelliani proprietatibus observ. p. 45). — Corrupti videntur hi loci: c. 26 (55. 20) quae adhuc ibi permanentes, si qua autem extra tumulum exit, debitum naturae persolvit; c. 74 (79. 13) illa timens puerum in terram deponere apium altissimum erat ad fontem, in quo puerum deposuit; c. 145 (24. 14) Juno formidinem ei misit, cuius timore exagitata coegit eam, ut se in mare praecipitaret. — Ceterum nominativum absolutum etiam apud posteriores Graecos usitatissimum fuisse constat: cf. Nauck Euripid. stud. I p. 24; Rohde mus. rhenan. 1870 p. 558, 1876 p. 629; Foerster Fr. Zambeccari u. d. briefe des Libanius p. 212 n. 2; Zerdik quaest. Appian. p. 18 n. 2.

[2]) Archiv III p. 41; cf. passio IV coronator. c. 3: haec autem inter se altercantes, multi audientes crediderunt. Koffmane gesch. d. kirchenlat. I p. 125.

Fulgentius [1]) praeterea multus est in talibus anacoluthis. Quid? quod supra e fragmento Niebuhriano intelleximus nominativum absolutum cum reliqua enuntiatione laxe coniunctum, quem codex F. in fabula 69 praebet, in pristina recensione non fuisse.

Verba fabulae 80 supra allata *tunc deprecatus Pollux, ut liceret ei munus suum cum fratre communicare, cui permisit* novam nec minus mirabilem dicendi rationem prae se ferunt, quade Munckerus ad fab. 21 et 4 et Tschiassnyus p. 19 s. disputaverunt. Saepius enim pronomen relativum ponitur, cum demonstrativum desideretur. Fulgentius huius usus testis haud ita idoneus est, qui eum ante Dosithei aetatem in fabulis fuisse comprobet. Iure autem suspicio excitatur, quod constructio iterum in narrationibus, quas capitibus 257 et 254 assutas esse exploratissimum est, occurrit; c. 257 (142. 20): *Phalaris autem Selinuntium crucifigi cum iuberet ideo, quod horae sex tertii iam diei essent nec veniret Moerus, cui Selinuntius respondit diem adhuc non praeteriisse;* c. 254 (141. 2): *Cydippe cum boves in pastionem misisset neque ad horam . . . apparerent et essent mortui — quae nisi ad horam sacra facta essent, sacerdos interficiebatur — inter quam trepidationem Cleops et Bitias pro bubus sub iugo se iunxerunt.* Eadem aetate, qua haec capita huiusmodi additamentis aucta sunt, usum illum in fabulas irrepsisse iudicandum est.

E syntaxi casuum maxime constructio verbi *sedendi* digna est, quae consideretur; c. 61 (61. 17): *sedens quadrigam;* c. 28 (57. 12): *columnam sedens,* quem locum Ungerus philol. XXXV, p. 283 propter alterum exemplum temptare non debuit. Exempla huius structurae, quae Munckerus ad fab. 61 contulit, omnia saeculo altero inferiora sunt: inveniuntur apud Fulgentium (III 1; Zink p. 43), Lactantium scholiastam Thebaidos, Gregor. dial. libr. Passiva quoque verbi forma transitive usurpata, quae minorem difficultatem praebere videtur, a Solino demum et Spartiano et Vegetio adhibetur. Iam vero indicibus fabulis additis, quos ante recensionem nostram natos esse videbimus, structuram olim a

---

[1]) III 8 (= Hyg. fab. 164 c, quae illinc translata est): quam arborem pater gladio percutiens Adon exinde natus est. Zink, der mytholog Fulgentius p. 49.

libello alienam fuisse probatur. Nam in capite 250 (139. 1), cum verba fabulae 61 repetuntur, legitur: *Salmoneus qui fulmina in quadriga[s] sedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.*

Ad extremum duas proprietates commemoro, quibus equidem alia exempla adiungere nequeo, soloecismum dico *praestare praeter ceteros* c. 92 (88. 4) et singularem coniunctionis *quemadmodum*[1] (= cum) usum: *alii dicunt, quemadmodum aedificabat pilam, super Castorem impulisse et sic interfectum* c. 80 (81. 23)

3.

De aetate et origine recensionis nostrae.

Iam tempus erit ea, quae adhuc disputata sunt, in unum quasi conspectum redigere, ut quae inde efficiantur, possint explicari. Recensionem enim fabularum, quam codex Frisingensis praebet, non genuinam exstare et ceterae recensiones, quae verba codicis saepius retractata esse ostendunt, et ipsa elocutio, quae nunc in fabulis neque aequabilis neque sibi constans est, testimonio sunt. Sed cum in eadem recensione certa quaedam vestigia saeculo altero inferiora inveniantur, optime convenit, quod fragmenta interpretationis Dositheanae a narrationibus, quae in codice respondent, paululum recedere atque integriorem nonnumquam lectionem praestare intelleximus. Necesse est concludamus versionem Dosithei et librum retractatum, qui est in manibus, ad commune exemplar redire. Integriorem recensionem fragmentum Niebuhrianum magnamque partem scholia Strozziana videntur praestare. Quibus testibus Servium adnumerare non dubito, quamquam unum illud videtur obstare, quod enuntiatio fabulae 194, qua Arionem in quiete vidisse Apollinem narratur, in scholiis Strozzianis, quae fabulam in suum usum vertunt (II 165 s. Robert Eratosth. cat. p. 212), plane deest neque casu potest esse omissa. Nam cum haec enuntiatio tum proxima verba, quae in Frisingensi ex antecedentibus repeti oportebat, a scholiasta Strozziano omittuntur. [2] Is

---

[1] Graecum ὡς fortasse reddi Foersterus monet.

[2] Robert l. l. p. 217; Otto annal. phil. CXXXIII, p. 288.

autem, qui cum Roberto sentiet verba, de quibus agitur, in Strozziano non desiderari, sed recensioni nostrae inculcata esse, Servium ad eclog. VIII. 55, qui ipse quoque Hygini narrationem sequitur, eodem exemplari interpolato, quo nos, usum esse putabit, cum verba eius sint: *Apollo cum in somnis monuit, citharoedi habitu accepto canens cithara ut vitaret insidias, auxilium ei non defuturum promittens.* Attamen Robertus concedit non defuturos esse, qui Servii testimonio haec verba defendi, Strozziani autem narrationem, ut saepius fit (cf. c. 188 Robert p. 217), in brevius contractam esse censeant. Equidem me eum esse non nego, qui verba Hygino tribuat, cum alius locus, qui in eadem fabula est (p. 125. 2), aperte ea respiciat atque etiam postulet: *rex — Arionem iussit ita ornatum, quomodo se praecipitaverat, delitescere.* Neque veri est simillimum fragmentum Niebuhrianum saeculo quinto vel sexto exaratum ac scholia Strozziana illius aetate multo inferiora [1]) integriore quam Servium exemplari usa esse. At ceteri scriptores isti miselli, qui post Servium in rebus mythologicis versabantur, Fulgentius, Lactantius interpres Statii, Lactantius Placidus, qui dicitur, [2]) narrator Ovidianus, recensionem retractatam videntur adhibuisse. Supra enim vidimus fabulas duplicatas sive geminatas non ab Hygino esse profectas: interpolatarum igitur in numerum fabulas 87 et 181 referendas esse collatio similium exemplorum comprobare videbatur. Illam autem, quae e fabula 88 repetita est, scholium Stat. Theb. I, 694. IV, 306 sequitur. Caput 181, quo argumentum antecedentis ita geminatur, ut fabula Ovidiana met. III, 155 sqq. repetatur, ad verbum cum narratione Ovidiana Lactantii Placidi III, 2 concinit. Schmidtius autem, qui hunc esse fontem capitis 181 philol. XXV, p 416 dicit, vehementer erravit, quoniam fabulam, quae inter Hyginianas legitur, multo uberiorem esse quam illam alteram manifestum est. Praecipue catalogo canum Ovidiano, quem fabula 181 addit, non Lactantius, perspicuum est auctorem capitis fabulam Ovidianam non a Lactantio accepisse, sed ipsum metamorphoseon libros inspexisse. Lactantium, quem ob eas causas caput in suum usum vertisse iudi-

[1]) Robert Eratosth. cat. epimetr. I p. 220

[2]) Foerster, raub der Perseph. p. 289.

camus, omnino fabularum librum novisse narratione eius XI, 3 docemur comparata cum fabula 191:

Hyg.	Lact.
At Midae Liber pater ob beneficium deoptandi dedit potestatem, ut, quidquid vellet, peteret a se.	*Quod ob beneficium optandi deus veniam ei dedit: si quid vellet, a se peteret.*

Quae similitudo non e communi usu versus Ovidiani XI, 100

huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit
muneris arbitrium.

explicari potest. — Ceterum recte Schmidtius alterum canum catalogum, qui priorem Ovidianum sequitur, genuinum esse censet, quippe qui eidem fonti deberi videatur, [1]) ad quem fabulam 180 redire veri simile est, [2]) tragoediae Aeschyleae, quae inscribebatur *Τοξότιδες*.

Testium, quos capita spuria legisse vidimus, aetas adhuc certis terminis definiri nequit: anno fere 500 recensionem nostram exstitisse statuimus. Loci vero, quos Schmidtius praef. p. XLVII n. e mythographis Vaticanis affert, ut eos interpolato Hygino usos esse probet, nullius sunt momenti. Qui quotiescumque mythographum sequi videntur, non ex ipso Hygino hauriunt, sed Hyginiana ab auctoribus suis, praecipue a Servio, accipiunt. [3]) Iam cum terminum, post quem fabulae retractatae sint, Dositheus sermonisque indicia, terminum ante quem mythographorum posteriorum testimonia praestent, restat, ut recensionis originem saeculis III—V tribuamus. Dubitari non potest, quin etiam post hoc tempus additamenta aliena assuta sint. Ea enim, quae post caput 164 leguntur, e Fulgentii mytholog. III 10. 8 et capita 258—261 e Servii commentario ad Aen. I 568. 323. 570 II 116 irrepsisse constat. [4]) Sed

---

[1]) Pollux V, 47; Bursian emend. Hyg. p. 5; Unger philol. XLVI, p. 229; Bethe rament. mythogr. (genethliac. Gotting.) p. 43.

[2]) Pollux IV, 141, Lange de nexu p. 36; Preller gr. myth. I p. 375 n. 6.

[3]) Lange de nexu p. 11 s. Ceterum ne verba quidem capitis 3 (39. 10) Ita dicitur esse factum e breviore recensione fluxisse, sed interpolata esse puto. Quaenam recensio, etiamsi brevior esse velit, mortem Helles, cum de Phrixi fuga agatur, omittere potest?

[4]) Bursian Fleckeisen. ann. phil. XCIII, p. 772 n. 22; p. 780 s.

huiusmodi additamenta aetate illa singularia fabularumque librum paulatim iis temporibus oblivione obrutum esse iudicandum est, quibus mythographi Vaticani compendia conscribebant et fabularum Graecarum loco argumenta e scholiis Latinis excerpta praebebant. Neque difficile est cognoscere, qua ratione quove consilio ea, quam nos habemus, recensio confecta sit. Fabulas scholarum usui destinatas fuisse et libelli dispositio et Dosithei testimonium docet. A magistellis igitur librum ad institutionem puerilem praeparatum et instructum esse patet, cui fato omnia enchiridia mythologica obnoxia fuisse recte Bethius quaest. Diod. p. 98 monet. Itaque evanescit et ad nihilum paene redigitur formido interpolatoris istius protervi et malevoli, quae virorum doctorum, qui fabulis operam dederunt, crux est. Maxime titulus libri mutationi expositus erat et dispositio fabularum. *Genealogia* sive *Genealogiae* tum *Fabulae* appellabantur: librorum trium sive duorum, quos genuina forma praebebat, [1]) memoria oblitterabatur, pristinus capitum ordo disturbabatur.

Iam iis, qui integrioris recensionis vestigia servaverunt, duo adnumerentur oportet, indices fabulis additi et capita genealogica, quae proprie dicuntur. Illos esse genuinos Dositheus probare videtur, qui caput *περὶ τεχνῶν εὑρέσεως* (274. 277) in exemplari suo invenit. [2]) Nec licet cum Bursiano haec capita et alia, quae propinqui sunt argumenti, pro genuinis habere, cetera reicere. Bursianus ideo in hanc sententiam videtur inclinasse, quod illi indices res in fabulis nondum commemoratas afferunt, hi vero, 'quaecumque partis antecedentis historiolae communia habent, comprehendunt iterumque memoriae inculcare student.' [3]) Haec tamen ratio non plane in utramque partem cadit, cum etiam in capitibus, quae Bursianus in suspicionem vocavit, multa inveniantur, quae ad fabulas referri non possint. Itaque Schmidtio assentiri nequeo, qui, cum recte cunctos indices Hygino tribuat, omnia fere, quae hi commemorant, sed fabulae omittunt, olim in antecedente quoque

---

[1]) astron. II 12: in primo libro Genealogiarum. Primum et priorem ab Hygino non secerni Bursianus monet, cf. Tschiassny p. 15.

[1]) Cassiodorium quoque in Variarum libris id adhibuisse Knaackius docuit Herm. XVI, p. 586 sqq.

[1]) Schmidt praef. p. XXVIII; Bursian l. l. p. 781.

parte lecta eique epitomatoris culpa detracta esse existimat. Recensionem nostram haud ita a pristina alienam esse puto, ut omnia, quae in fabulis corrupta aut mutilata esse Schmidtius p. XXXII s. ex indicibus concludit, concedam. Sed, quomodocumque res sese habet, aliquot certe locis indices ad ea, quae nunc in fabulis corrupta exstant, redire recte idem vir doctus vidit. Hoc potissimum quoniam eos recensione nostra antiquiores esse demonstratur, Bursiani sententiam refutari perspicuum est. Recte quidem Schmidtius l. l. p. XXXIII monet oraculum, quod in capite 22 est, in fabulis suo eventu carere, non in indice capitis 254 (140.12). Nomina fratrum Althaeae, quae in fabulis 173 et 174 ex Ovidii versibus perverse intellectis corrupta sunt, ab auctore capitis 244 recte servata esse vidimus. Initio capitis 189 Procris Pandionis filia nominatur: idem error in caput 241 (134.17) irrepsit. [1]) Verba supplendo *Erechthei Pandionis filii filia,* quod Buntius voluit, emendare non licet, sed error eius, qui Procnen cum Procride confudit, statuendus est. At rectum patris nomen legitur in capite 253 (140.5).

Ex elocutione indicum quicquam certi concludere vix possumus, cum arida et tenuis sit ac plerumque e fabularum narratione excerpta. Verbis indicis 250 *in quadriga sedens* integriorem, quam nos habemus, textum fabulae 61 postulari supra expositum est. Aliud exemplum non sine aliqua dubitatione adicio; in c. 242 (135.1) legitur: *Macareus Aeoli filius propter Canacen sororem id est sponsam ipse se interfecit.* In verbis *id est* viri docti offenderunt neque contulerunt c. 178 (35.1): *ex quibus quinque superfuerunt, id est Chthonius, Udaeus etc.*

Nec minus tertiam libri partem, caput genealogicum, quod fabulas antecedit (cf. capita 155—163), genuini fuisse operis Hyginiani iudicaverim. Quamquam Tschiassnyus p. 6 s. caput a fabulis secernendum et ad illum astronomiae locum, quo genealogiae laudantur, referendum esse censet. At neglegendum non est nonnulla, quae hic leguntur, cum fabulis mirum quantum consentire: nati ex Typhone et Echidna, qui p. 12 l. 16—21 enumerantur, iterum in capite 151 occurrunt. Licet hoc inde

---

[1]) Similiter Cephalus, qui aliis locis Deionis filius nominatur, in capite 270 (145. 16) Pandionis filius est.

repetitum sit, aliae tamen similitudines restant, quae e medio tolli non possint:

cap. geneal. p. 12. 17 *Scylla, quae superiorem partem feminae, inferiorem canis habuit.*	c. 151 (25. 15) *Scylla, quae superiorem partem mulieris, inferiorem canis et canes sex ex se natos habebat.*	c. 125 (108. 15) *Scylla — quae superiorem corporis* (partem) *muliebrem, inferiorem ab inguine piscis et sex canes ex se natos habebat.*
p. 12. 19 *Hydra serpens, quae novem capita habuit, quam Hercules interemit.*		c. 30 (64. 3) *Hydram Lernaeam cum capitibus novem interfecit.*

Sane praeterea haud ita pervulgatum [1]) est cognomen *trimembris*, quod Geryoni et in capite genealogico (12. 23) et in fabula 30 (64. 21) datur. Tschiassnyum praeierat Bursianus, [2]) qui ipse quoque neglexit capitum genealogicorum, quae secernit, et fontes [3]) et elocutionem [4]) eandem esse, quam reliquorum, nec rationem habuit earum partium, quae in ceteris capitibus genealogico ordine describuntur. [5]) Cuius sententiam Robertus cum recte repudiaret, ipse quoque in iis capitibus haesit, quae in libro non *κατὰ στέμματα* exposita sunt. [6]) Equidem non video, cur mythographo, postquam

---

[1]) Tschiassny p. 9.

[2]) Fleckeisen, annal. phil. XCIII, p. 771 sqq.; ex Hyg. genealogiis excerpta p. 1 sqq.

[3]) conferas velim fabulas 143. 145. 149 (Bursian excerpta p. 6 et 7) cum Apollodori bibliotheca II 1, 1—4.

[4]) c. 148 (Schm. p. 22. 1, Bursian exc. p. 11. 10): Vulcanus cum resciit — se virtuti eius obsistere non posse (cf. Lucian. d. d. 15. 3); cf. fab. 168 (31. 19) = cod. Strozz. Robert p. 214: Danaus ut vidit se iis obsistere non posse; c. 125 (106. 21), 20 (52. 10), 26 (55. 19), 28 (57. 8). — De locutione matris poenas executus est (c. 140 p. 18. 10 Schm. = p. 15. 10 Bursian) ad caput 199 disputabimus.

[5]) cf. quae Wilamowitzius Homer. unters. p. 333 n. 3 de dispositione libri disseruit.

[6]) Eratosth. cat. p. 235. 236.

plurima in genealogiarum formam redegit, nonnulla libero arbitrio addere non licuerit. At argumenta, quae vir sagacissimus protulit, ut sententiam suam comprobaret, profecto haud sunt spernenda. Nam cum Hyginus in astronomia se de tribus mythis alio loco dicturum esse promittat, qui loci omnino ad astronomiam referri non possunt, Robertus concludit fabularum librum respici ab eodem Hygino post genealogias et astronomiam conscriptum, sed ante Dosithei aetatem cum altero libro conglutinatum. At miror ea, quae in astronomia laudantur, in nostro fabularum libro non inveniri. Quid Diana post Orionis mortem fecerit (astr. II 34), fabulae nusquam indicant: neque de Gorgone (ibid. II 12) neque de Phrixi pelle aurea (II 20) quicquam in fabulis proponitur, quod non in astronomia narratum sit. Num porro putabimus scriptorem se de Graeis Gorgonum custodibus (astr. II 12) in Genealogiis dixisse, de Gorgone in fabulis dicturum esse significare? Ne longus sim, loci illi difficillimi quomodo sint explicandi, diiudicare non audeo, praesertim cum in astronomia non multum versatus sim: eos ad partem libri, quem nos habemus, spectare veri dissimillimum videtur esse. Nec credo ante Dosithei aetatem librum tantopere mutatum esse. Quomodo denique factum esse existimabis, ut libri primum *Genealogiae* et *Fabulae*, deinde Dosithei aetate *Genealogia*, tum posteris temporibus iterum *Fabulae* appellarentur?

II.

De vestigiis poesis Latinae, quae sunt in fabulis.

Quoniam fabulas, quas codex F. praebet, recentiorem genealogiarum recensionem esse vidimus, quaestio exsistit, num genuinus libri status ex parte possit redintegrari. Qua de re non prorsus desperandum est, cum ceterae recensiones, quamvis saepius integriorem textum servaverint, in universum tamen narrationem pristinam non radicitus vitiatam exstare testentur. Ratio enim, quam inter diversa fabularum exemplaria intercedere vidimus, non permittit, ut libellum epitomando et amplificando prorsus depravatum esse Schmidtio concedamus. Ansis igitur, quae ad restituendum datae sunt, freti certum quoddam genus quaestionum criticarum eligimus, ut ea, quae vere Hyginiana sint, enucleare conemur. Maxime vero hodie loci, qui poetas Latinos respiciunt, idonei videntur, quorum de origine amplius disputetur, cum suspiciones virorum doctorum mirum quantum excitaverint. In priore dissertationis parte inter fabulas interpolatas nonnullae occurrerunt Ovidii opera conflatae: [1])

---

[1]) cf. praeterea verba capitis 145 Argus Arestorides, quae ex Ovid. met. I, 624 interpolata esse post Munckerum Schwartzius monuit de schol. Homericis Fleckeisen. annal. phil. suppl. XII p. 442 n. 2; cf. c. 183 (36. 5) et marginis adnotationem ad c. 125 (p. 109). In fabula 64 verba sive Proetus (62. 22) a glossatore, qui narrationem Ovidianam met. V, 236—249 male intellegebat, adiecta esse Munckerus cognovit; cf. Bursian Fleckeisen. ann. phil. XCIII, p. 772. Reliqua narratio non ideo spuria est, quod iis, quae in fine capitis antecedentis sunt, repugnat: cf., quae recte contra Bursianum Robertus Eratosth. cat. p. 235 n. 28 monuit. Narrationem autem, quamquam cum antecedente capitis parte ita concinit, ut inde fere repetita videatur, genuinam esse ipsa elocutio probat Verba eumque per dolum interficere voluit iterum leguntur in capite 219 (129. 12): cf. praeterea (ut) vidit Perseum tantam virtutem habere et c. 79 (81. 4): quod Jovis eos cum vidisset tantam virtutem habere, c. 189 (120. 21). — ab humana specie est immutatus et c. 125 (107. 15): quos illa ab humana specie immutavit.

quod non miramur, cum in occidentis regionibus carmina Latinorum soli fere posteriorum fontes mythologici fuerint, quippe quorum aetate scientia litterarum Graecarum paulatim evanesceret. Sed recentiores, cum exempla eiusmodi recte a fabularum auctore abiudicarent, omnino mythographum poetas populi sui respexisse negaverunt. Primus hanc viam Schneiderus [1]) ingressus est, qui, cum capita 273—277 e Callimachi aetiis fluxisse censeret, ea, quae opinioni ipsius obstare videbantur, e textu eiecit. Itaque cum multa tum extrema capitis 273 verba, quae ad Vergilii Aeneidos librum V redeunt, spuria esse arbitratus est, quod non probabile esset Hyginum bibliothecarium Augusti verba Vergilii fere servilem in modum in usum suum vertisse. Schneideri sententiam si refutare vellem, acta agerem. Satis est commemorare ipsum virum doctum concessisse [2]) argumentum, quod de narratione illa e Vergilio hausta protulerat, nullius esse momenti. Alia causa Schmidtius praef. p. XXX s. usus est, ut plurima, quae ad Vergilii et Ovidii carmina redeunt, interpolata esse probaret. Mythographum enim, cum totum ex Graecis pendere recte intellegeret omnino Latina admiscuisse veri dissimile esse censuit: cuius sententiam alii secuti sunt, velut Robertus Wilamowitzius Bethius. [3]) Sed res a priori, ut aiunt, diiudicari non potest: cur Hygino licuisse negabimus, [4]) quamvis Graecos sectatus sit, in libro scholarum usui destinato res ex iis libris, qui in scholis

---

[1]) proll. in Call. *αἰτίων* frgg. p. 6 = Callimach. II p. 50; cf. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 267.

[2]) Callimach. II p. 52 n.

[3]) Robert Eratosth. cat. p. 15 n. 22, p. 233; Herm. XVIII, p. 436 n. 1; bild und lied p. 195: es veranlasst mich die vielleicht nur subjektive überzeugung, dass in dem ursprünglichen Werk des Hygin auf die römische litteratur überhaupt fast keine rücksicht genommen ward. Wilamowitz Isyllos von Epidauros (phil. unters. IX) p. 49: alles römische ist interpolation im Hygin: wer das nicht weiss, hat ihn niemals mit bedacht gelesen. Bethe quaest. Diod. p. 98.

[4]) cf. Bursian Fleckeisen ann. phil. XCIII, p. 782: den schluss (von f. 273) als zusatz eines interpolators zu betrachten sind wir nicht berechtigt, da die ausführliche schilderung der von Aeneas veranstalteten spiele nach Vergilius in einer von anfang an zum gebrauch beim unterricht römischer knaben bestimmten sammlung ganz am platze ist.

legi solebant, interdum adiungere. In singulos locos accuratius inquirendum esse nemo non videt.

I.

De fabulis, quas poetae et mythographus communibus fontibus debent.

Antequam vero ad id ipsum, quod nobis propositum est, transeamus, pauca erunt praemonenda, quibus locis statuendam esse eiusmodi imitationem censeamus. Schmidtius quidem fabulam 134, quae de Tyrrhenis est, spuriam esse putat, cum 'nautarum Tyrrhenorum nomina ex Ovidii *μεταμορφώσεων* libro videantur sublecta'. [1]) Et quamquam in eo, quod de vestigiis Ovidianis sensit, constans sibi fuit, hoc tamen loco neglexit ne respici quidem catalogum Ovidianum (met. III, 582—691), id quod recte Maassius Ungerus Crusius [2]) monuerunt. Neque enim Proreum Ovidianum Hyginus neque Simonem Hyginianum [3]) Ovidius nominat: denique loco viginti nautarum Ovidianorum (v. 687) ab Hygino duodecim numerantur. Praeterea nomina, quae Hyginus praebet, ad Ovidiana accommodare eo minus licebit, quod reliqua quoque narratio ab Ovidio dissentit. Nam, ut res leviores omittam, apud Hyginum Tyrrheni Liberum puerum amoris causa tollunt, quocum concinit Servius Daniel. ad Aen. I, 67. Ovidii autem versum 606

utque putat, praedam deserto nactus in agro

illustrant Apollodori verba (3. 5. 3): *οἱ δὲ αὐτὸν* (sc. Tyrrheni Liberum) *ἐνθέμενοι Νάξον μὲν παρέπλεον, ἠπείγοντο δὲ εἰς Ἀσίαν ἀπεμπολήσοντες.*

Exempla igitur eiusmodi, in quibus ne argumenti quidem similitudo occurrat, a disputatione secludenda esse patet. Et quamquam certissimo imitationis indicio erant verba poetica orationi fabulari admixta, tamen non licebit eas fabulas praeterire, quae solius narrationis consensum quendam maiorem cum Ovidio praebeant. Quem consensum Langius ita explicare conatus est, ut

---

[1]) praef. p. XXIV.

[2]) Maass Herm. XXIII, p. 614; Unger philol. XLVI, p. 223; Crusius philol. II, p. 220 s.

[3]) Crusius l. l. p. 221. n. 59.

poetam libro 'transformationum' Hyginiano usum esse putaret. Sed haec sententia, etiamsi auctor libelli sit Hyginus Augusteus, vel eo [1]) refutatur, quod nonnullis in fabulis, ut diximus, flosculi e poetis delibati inveniuntur. Neque enim facile poetae a prosarum scriptoribus, sed hi ab illis lumina orationis mutuantur. Itaque quoniam Langii sententia corruit, primum, si narrationem inter utrumque concinere neque flosculos elocutioni poeticae debitos accedere animadverterimus, quaerendum erit, num uterque eundem adierit fontem. Hygini enim et Diodori et Apollodori communem esse auctorem, qui res mythologicas tradidit, supra monuimus. Ac primum casu ac fortuito accidisse potest, ut Ovidius et auctor hypotheseos Graecae, quam Hyginus transcribit, eandem fabulae formam sequerentur. Deinde vero probabile est ipsum poetam idem compendium, quod magis aut minus compilatum mythographi nobis servati adhibuerunt, in usum suum vertisse, cum metamorphoseon libros conscriberet. [2]) Cuius rei egregium quoddam exemplum a Roberto [3]) sagaciter indagatum est: praeclare Parthenii libellus comparari potest. Certe poeta a mythographis, qui omnia fere, quae proferunt, ab hypotheseon auctore furati sunt, ita distat, ut plerosque fontes, ad quos narratio in enchiridio illo accommodata erat, ipse cognoverit. Ac tamen eum, cum ordinem transformationum disponeret et singulas enarraret, librum eiusmodi adisse etiam Hygini comparatio probat. Fabulam 96, quae est de Achille, Cypriis debitam mythographus simillimam Ovidianae met. XIII, 162—170 praebet, sed ampliorem: tubae sonum, quo Achillem excitatum esse Hyginus secundum

---

[1]) Alia contra Langium (de nexu p. 67 s.) monuerunt Bursianus Fleckeisen. annal. phil. XCIII, p. 779 et Foersterus raub der Perseph. p. 87 n. 2; cf. p. 290.

[2]) Bethe quaest. Diod. p. 97 s.; Wilamowitz einl. in d. att. trag. p. 168; Ribbeck röm. dicht. II p. 289.

[3]) bild und lied p. 231 n. 5. — Mirum in modum ab Ovidio met. I, 748—751 Epaphi et Phaethontis fabulae coniunguntur (Ribbeck röm. dicht. II p. 291). Ordo Hyginianus est: c. 149 Epaphus, c. 150 Titanomachia, c. 151 ex Typhone et Echidna geniti, c. 152 Typhon — Phaethon. Fortasse Ovidius, cum compendium inspiceret, ea, quae de Titanis et Typhone referuntur, omisit, quippe quae exempla transformationum non praeberent, ac per vim Epaphi et Phaethontis res conglutinavit.

Graecos [1]) commemorat, Ovidius omittit. Mire praecipue initium fabulae: *Thetis Nereis cum sciret Achillem filium suum . . . , si ad Troiam expugnandam isset, periturum* etc. concinit cum versu Ovidiano 162

praescia venturi genetrix Nereïa leti.

Fabulae autem certam quandam speciem et formam externam ab hypotheseos auctore impressam esse docet simile Apollodori 3. 18. 8 initium: *Θέτις προειδυῖα, ὅτι δεῖ στρατευόμενον αὐτὸν ἀπολέσθαι κτλ.*

Eadem ratione consensus, qui inter Hygini fabulam 6, qua de Cadmi tranformatione agitur, et Ovidii met. IV, 563—603 est, explicetur oportet. Et quamquam neuter res a Cadmo in Illyria gestas [2]) commemorat, eas tamen Hygino ignotas non fuisse ostendunt verba capitis 240 (134.10): *Agaue Lycothersen in Illyria* (sc. occidit), *ut regnum Cadmo patri daret;* cf. c. 254 (140.14). Itaque cum extrema fabulae 184 (38.1) verba sint: *Agaue . . . in Illyria fines deuenit ad Licotersen regem, quam Licoterses excepit,* Schmidtius recte suspicatus videtur esse nonnulla, quae ad Cadmum pertinebant, olim hic lecta esse. Quae verba, cum foliorum transpositione fabulae 138—184 ex initio in mediam libri partem conicerentur, mutilata esse mirum non est. Sed in ipsa fabula unum est, quod Hyginum ex Graecis pendere demonstret. Nam id, quod Ovidius [3]) obscure indicat, mythographus diserte dicit ira Martis Cadmum in draconem conversum esse. Poetam vero fabulam ex eodem compendio mythologico atque mythographum hausisse docet ordo totius narrationis, quae res Thebanas complectitur, collatus cum Hygini fabulis 178—184. 1—6 et Apollodori bibliotheca III 4. 1—III 5. 4. Nam non modo Cadmi transformatio ab eis similiter post propinquorum eius interitum enarratur, sed etiam cetera, quae antecedunt, eodem fere modo disponuntur. Tabulam adiungam, quae rationem inter tres illos intercedentem illustret: moneo tamen Ovidium narrationem non continuam, sed saepissime aliarum transformationum mentione interruptam praebere.

---

[1]) Preller gr. myth. II p. 417.

[2]) Apollod. 3. 5. 4; Preller II p. 27 n. 1.

[3]) cf. Hauptium ad. met. III, 97.

	Apollod.		Hyg.		Ovid. met.
Europae raptus			fab. 178		II 833
Thebae conduntur	III 4.1		178	II	III 1
Cadmi nuptiae	III 4.2		179	I	III 131
Semele	III 4.3		179	II	III 253
Actaeon	III 4.4		180.181		III 138
	III 5.1	Dionysus	182	Liberi	nutrices [1])
Pentheus	III 5.2		184		III 511
Athamas	III 4.3		1—5		IV 416
Cadmus	III 5.4		6		IV 563
Antiope	III 5.5		7		

Tertium exemplum praebet fabula 165, quae est de Marsya, comparata cum narratione Ovidiana met. VI, 382—400 (cf. fast. VI, 697—708). Verba enim (19.14) *e cuius sanguine flumen Marsya[n] est appellatum* e metamorphoseon versibus 399.400

inde petens rapidum ripis declivibus aequor
Marsya nomen habet.

petita esse arbitratus per vim Schmidtius ad eos accommodare studuit. [2]) Haec tamen eidem fonti, cui Ovidiana, deberi docent Palaeph. 48 *Μαρσύας ὄνομα τῷ ποταμῷ καὶ ἔλεγον οἱ Φρύγες, ὅτι τὸ ῥεῦμα τοῦτο ἐξ αἵματός ἐστι τοῦ Μαρσύου* et schol. Plat. sympos. 215 B (Jahn-Usener p. 113): *ἀφ' οὗπερ αἵματος ἔρρευσε ποταμὸς ὁ ἐξ αὐτοῦ ὕστερον Μαρσύας κληθείς.* Quin etiam enucleare possumus, quomodo Ovidius a fonte suo discesserit. Hyginus, Palaephatus, scholiasta flumen ex ipso Marsyae corpore, Ovidius e lacrimis satyrorum et nympharum sodalem deflentium natum esse tradit. Et cum multo facilius dicatur flumen ex hominis homonymi corpore, quam ex lacrimis aliorum ortum esse, poeta id, quod profert, haud ita apte videtur novasse. [3])

Progrediente disputatione complures occurrent fabulae, quas Ovidius et Hyginus, si non communi hypothesi, at certe eidem debent auctori. Nonnulla huiusmodi exempla, quae maiorem quen-

---

[1]) Fortasse auctor recensionis nostrae caput segregavit a capite 179; caput 183 neglegentia eiusdem inter has fabulas venit.

[2]) Satis audacter coniecit:
Marsya n(omen habet). cf. Otto annal. phil. CXXXIII, p. 282.

[3]) cf. Hauptium ad met. l. l. v. 382.

dam consensum praebent, hic tractare liceat. In fabula, quam de Aegina mythographus capite 52, Ovidius met. VII, 518—660 enarrat, uterque ita a forma inde ab Hesiodo vulgata recedit, ut solitudinem Aeaci pestilentia a Iunone missa effectam esse tradat. Quam fabulae formam Graecis non ignotam fuisse Strabonis verba VIII, p. 375 ostendunt: *φασίν, ὅτι λοιμοῦ μεγάλου συμπεσόντος οἱ μύρμηκες ἄνθρωποι γένοιντο κατ' εὐχὴν Αἰακοῦ.* Sed non modo ea, quae poeta quasi in transitu leviter tangit, ab Hygino amplius [1]) explicantur, verum etiam ea, quae Ovidius de suo addidit, mythographo comparato investigare possumus. Huius verba sunt: *Juno. . . . serpentem in aquam misit, quae eam venenavit;* cf. Ovid. versus 534.535 *miliaque incultos serpentum multa per agros errasse atque suis fluvios temerasse venenis.* Apud mythographum aqua venenis inquinata est sola pestilentiae causa, apud Ovidium, qui praeterea numerum serpentium amplificat, una ex multis, quae eam excitasse dicuntur. Nec dubium est, quin ille hypothesin Graecam accuratius reddat, quam Ovidius, quippe qui in pestilentia depingenda cum Lucretio et Vergilio certet. [2])

Procridis fabula, quam Hyginus in capite 189, Ovidius met. VII, 661—865 praebet, quamquam mythographus uberius narrat, ita apud utrumque consentit, ut Langius de nexu p. 53 poetam eam quoque e transformationum libro Hyginiano sumpsisse crediderit. Cuius quidem opinio vel eo redarguitur, quod Ovidius antiquum mythum [3]) secutus Cephalum ab Aurora raptum esse narrat, id quod Hyginus omittit. Ceterum verba *recede de hoc coetu* ex Ov. met. II, 465 deprompta, si Micyllus recte, ut videtur, *coetu* pro *tu* emendavit, ad nostram quaestionem non spectant, cum non fabulam, quade agitur, Ovidianam respiciant, sed ex alio metamorphoseon loco admixta sint.

Haud secus res se habet in capite 58, quod de Smyrna

---

[1]) Ov. v. 523. 524
dira lues ira populis Junonis iniquae incidit, exosae dictas a paelice terras. Hyg.: Iupiter cum Aeginam Asopi filiam vellet comprimere et Iunonem vereretur, detulit eam in insulam Delon . . . Hoc Iuno cum rescisset etc.

[2]) cf. Hauptii notam ad v. 523.

[3]) Eur. Hippol. 455; Anton. Lib. 41; Preller gr. myth. II 146.

est, collato cum Ovidii met. X, 298—502. Nam poeta et mythographus, cum fabulae tragicum quendam colorem addunt, ita ab eis, qua Apollodorus III 14.4 Panyasin secutus similiterque Antoninus Liberalis 34 narrant, recedunt, ut utrumque ad communem auctorem, qui post Panyasin scripsit, redire veri simile sit. [1]) Smyrnam enim, antequam amori scelesto se dedisset, collum in laqueum inserere voluisse, sed a nutrice impeditam esse tradunt. Hyginum autem non ex poeta pendere inde apparet, quod ille unus addit superbia Cenchreidis matris Smyrnae iram Veneris excitatam esse. Alia quoque, quae levioris momenti sunt, ab utroque diverse indicantur, ut nomen Myrrhae, cui mythographus nomen Smyrnae apud Latinos minus usitatum dat, et patria Cinyrae. [2]) Id vero inter eos convenit, quod amor, quo Venus Adonidem prosequebatur, ultio dicitur fuisse mortis Smyrnae. [3])

Vidimus igitur merum argumenti consensum documento esse non posse, quo Hyginum poetis usum esse necessarie demonstretur. Ac supra iam diximus saepius vestigia elocutionis poeticae accedere, ut rem certius diiudicare liceat. Quamquam haec quoque cautissime examinari oportebit: Schmidtius enim in editione, ut imitationem poetarum significaret, haud pauca [4]) litteris diductis imprimenda curavit, quae levissima ac forte illorum verbis similia sunt, alia praeterea ad locos poeticos coniectura accommodare conatus est. Cuius ratio iure a Mayero et Ungero [5]) vituperata est.

Sed antequam ad ea, quae Vergilio et Ovidio debentur,

---

[1]) Fabulam aetate Alexandrina tractatam esse docet Helvii Cinnae Zmyrna, quam ad Parthenii carmen redire putat Kiesslingius commentat. Momms. p. 351 sq.

[2]) Langius de nexu p. 42 fabulam praeterea ab Hygino cum Nyctimenes fabula confusam esse censet.

[3]) Ovid. v. 524
iam placet et Veneri matrisque ulciscitur ignes; Hyg.: Adonis, qui matris poenas a Venere est insecutus.

[4]) Verba fabulae 112 (100. 3) servavit Apollo casu leguntur apud Horatium sat. I 9. 78. Cum exitu capitis 154 (27. 18) is quoque moriens flebile canit cf. Ovid. remed. 36
exclusus flebile cantet amans.

[5]) Mayer Herm. XX, p. 112 n. 1; Unger philol. XLVI, p. 217.

transeamus, paucis eas fabulas intueri opus erit, quae alios poetas Latinos aut respiciunt aut videntur respicere. Ribbeckius enim, cum tragoediarum Latinarum argumenta restituere docte ac sagaciter conaretur, Valckenaerio praeeunte nonnulla capita Hyginiana ex illis tragoediis excerpta esse censuit. Ut fabulam 107 ad Armorum iudicium Accianum, fabulam 102 ad Philoctetam, fabulam 174 ad Meleagrum eiusdem poetae, fabulam 100 ad Teuthrantem Iulii Caesaris Strabonis (!) redire iudicavit. [1]) At ex eo, quod poetae ac mythographus similes fabularum formas proferunt, hunc ipsas tragoedias in usum suuum vertisse concludi non potest. Neque enim auctores, quos poetae tragici sequebantur, nobis ita noti sunt, ut ea, quae inter utrosque concinunt, e communi fonte fluxisse denegare liceat. Certa autem argumenta desunt, quae rationem talem, qualem Ribbeckius statuit, probent. [2]) Inscriptio capitis 8 *Eadem* (sc. Antiopa) *Euripidis, quam scribit Ennius* in medium proferri non potest, praesertim cum error scriptoris, qui Ennium pro Pacuvio nominat, tragoediam non inspectam esse doceat. Adde, quod ipse vir doctus l. l. p. 281 concedit argumentum Hygini ex eodem fonte sumptum esse atque scholium Apollon. Rhod. IV, 1090. Gravissimum vero sententiae documentum Ribbeckio fuisse videtur, quod nonnullarum fabularum, quas tragici tractaverant, argumenta nisi apud Hyginum non inveniuntur eaque a mythographo tragico quodam colore ornantur. Quae ratio cadit in Medum et in Ilionam Pacuvii. Sed Medi fabulam in compendio mythologico, quo Hyginus utitur, fuisse Diodorus IV 56. 1 (cf. 55. 5) et Apollodorus I 9. 28 testantur: [3]) atque etiamsi ea, quae hi proferunt, non tam ampla sunt quam Hyginiana, tamen Diodorus diserte dicit se narrationem compendii in brevius contraxisse IV 56. 1: *Καθόλου δὲ διὰ τὴν τῶν τραγῳδῶν τερατείαν ποικίλη τις καὶ διάφορος ἱστορία περὶ Μηδείας ἐξενήνεκται κτλ.*; IV 56. 2 *ἀλλὰ γὰρ τὸ πάσας τὰς ἀποφάσεις τῶν περὶ τῆς Μηδείας μυθολογησάντων ἀναγράφειν οὐκ ἀναγκαῖον ἅμα καὶ μακρὸν εἶναι κρίνοντες τὰ καταλειπόμενα τῆς περὶ τῶν Ἀργο-*

[1]) Röm. tragöd. p. 371 n. 12; p. 377; p. 510 p. 615 (311).
[2]) cf. Wilamowitz Isyllos von Epidauros p. 49.
[3]) Ribbeck l. l. p. 325; Bethe quaest. Diod. p. 20 s.

ναντῶν ἱστορίας προσθήσομεν. Quid? quod Hyginus Aeetae, quem apud Pacuvium ad extremum diu cum Medea collocutum esse Cicero Tusc. III 12. 26 IV 32. 69 (Ribbeck p. 323 sqq.) tradit, ne mentionem quidem facit. Idem de capite 109 iudicandum esse censeo. Nam et canticum Deiphili mortui, quo cumulum tragoediae allatum esse veteres testantur, et res, quae in extrema fabulae parte commemorabantur, [1]) mythographo ignotae sunt. Cur autem ea, quae in capite 106 *Hectoris lytra* cum Aeschylo conveniunt et cum Ennio convenire videntur, e fabula Enniana fluxisse [2]) oporteat, non video. Si pendere mythographum e tragicis statuere in animo est, elocutionis consensum indagari necesse est. Cuius unum exemplum invenisse Ribbeckius p. 82 n. 16 sibi videtur, cum fragmentum inc. inc. fab. V (Cic. de divin. I 21. 42), quod Alexandro Enniano tribuendum esse videtur, cum fabula 91 compararet. At si ea, quae protulit, etiam cum Apollodori bibl. III 12. 5 conferemus, eodem profecto iure dicemus narrationem Hygini ex eadem hypothesi, quam Apollodorus sequitur, translatam esse.

frg. trag.

máter gravida párere se ardentém facem visa ést in somnis Hécuba.

Hyg.

uxor eius praegnans [3]) *in quiete vidit se facem ardentem parere.*

Apollod.

δευτέρου δὲ γεννᾶσθαι μέλλοντος βρέφους ἔδοξεν Ἑκάβη καθ' ὕπαρ δαλὸν τεκεῖν διάπυρον.

eum ésse exitium Tróiae, pestem Pérgamo

Hyg.

ne id patriae exitio foret

Apollod.

τῆς πατρίδος [4]) γενέσθαι τὸν παῖδα ἀπώλειαν.

---

[1]) Ribbeck l. l. p. 234. 237.

[2]) l. l. p. 124. 130.

[3]) cf. Verg. Aen. VII, 320: Cisseis praegnans.

[4]) cf. Apollod. πατρίδος, Hyg. patriae, frg. trag. Troiae. Quamquam denegare nolo mythographo, cum hypothesin verteret, versus poeticos, quos vel in Ciceronis de div. libris legisse poterat, obversatos esse. Quam Hygini consuetudinem nunc tractabimus.

Neque igitur est, quod mythographum hic a fontibus, quos sequi solet, defecisse statuamus.

Alios flosculos poeticos Schmidtius investigare conatus est. Fortasse verba fabulae 150 (25. 10) *coeli fornicem* ab Ennio (apud Cic. de orat. III 40. 162) petita sunt. Certe autem ea, quae in fabulis Homero Latino et Statio deberi idem putavit, vana sunt, quod Ungerus philol. XLVI, p. 217 monuit. Praeterea bis catasterismorum fabulis, quarum tamen de origine ex parte dubitatur, versus e poetis Latinis adiciuntur: in fabula 14 (49. 21) Ciceronis Aratea, in capite 177 (31. 1) versus cretici, qui dicuntur, ignoti cuiusdam poetae [1]) laudantur.

2.

De elocutionis poeticae vestigiis.

Venimus ad eos flosculos, qui sine dubio poetarum Latinorum carmina respiciunt. Et cum quaeratur, num demonstrari possit eos esse genuinos, hoc certe exploratum est omnibus locis verum Hyginum esse agnoscendum, quibus verba enchiridii mythologici Graeci reddi perspicuum sit. Iam vero animadvertimus saepius verba poetarum Latinorum ita adhiberi, ut eorum auxilio narratio poetae aut hypotheseos Graecae in sermonem Latinum vertatur. Neque igitur potest dubitari, quin ii loci sint genuini. Homerici versus notissimi sunt de Chimaera (Z 181. 182):

πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Quos cum mythographus in fabula 57 (60. 9) laudat, translatione utitur Lucretiana: *ore flammam spirare dicebatur;* Lucr. II, 705:

flammam taetro spirantis ore Chimaeras;

ibid. l. 10: [2]) *prima leo, postrema draco, media ipsa Chimaera* (Lucr. V, 905).

---

[1]) Fortasse Varronis Atacini (Unger l. l. p. 244). Versum tertium oceano prohibet semper se tingere Tethys Vergilius georg. I, 246 videtur respicere: Arctos Oceani metuentis aequore tingui; cf. Ovid. met. II, 172 XI, 455; Zingerle Ovid u. sein Verh. II p. 85.

[2]) Verba respiciuntur capite 151 (25. 18): media ipsa Chimaera.

Verba fabulae 55 (59. 18): *Tityus — novem iugeribus.. exporrectus iacere dicitur,* [1]) quae versum Odyss. λ 577

δ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα

reddunt, simul accommodata sunt ad versum Vergilianum Aen. VI, 596

per tota novem cui iugera corpus porrigitur

Tibull. I 3. 75

porrectusque novem Tityos per iugera terrae

cf. Ovid. amor. III 12. 25; met. IV, 457; Ibis 179.

Fabulas, quae ab Hygino de Argonautis narrantur, ad Apollonium Rhodium redire iamdudum cognitum est. Et quamquam E. Schwartzius [2]) demonstravit mythographum 'non ipsum carmen Apollonii manibus trivisse, sed argumenta cum scholiis commixta compilasse', tamen idem vir doctus l. l. p. 21 s. ostendit nonnumquam poetae verba quodam modo ab Hygino servata esse. Unum autem e versibus, quos ille attulit, in fabulis auxilio Ovidii translatum esse censeo. Nam verbis fabulae 22 (53. 7) *tauros aeripedes, qui flammas naribus spirabant, iungeret adamanteo iugo,* licet pendeant ex Apollon. III, 496

ταυρὼ χαλκόποδε, στόματι φλόγα φυσιόωντε,

nimia est similitudo cum Ov. met. VII, 104

ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
aeripedes tauri. [3])

Eadem ratio, quae in poetarum versibus, occurrit in hypotheseon verbis reddendis. Fabulam, quae est de Salmoneo (c. 61), ab Hygino, Diodoro, Apollodoro ex eodem fonte haustam esse propter manifestam propinquitatem Bethius p. 57 docuit. Sed quamquam verba (p. 61.16) *Salmoneus . . . . cum tonitrua et fulmina imitaretur Iovis, sedens quadrigam faces ardentes in popu-*

---

[1]) Similiter mythographus addit dicitur in c. 80 (82. 3), ut testem locutionis poeticae se respicere significet: p. 41.

[2]) de Dionysio Scytobrach. p. 24; cf. Bethe quaest. Diod. p. 89.

[3]) cf. Prop. IV (III) 11. 9

Colchis flagrantis adamantina sub iuga tauros egit.

Ov. Her. XII, 93 iungis et aeripedes inadusto corpore tauros.

Enn. 588; Lucr. V, 29; Verg. Aen. XII, 115; Ov. met. II,85 III,686; Zingerle Ov. u. sein verh. II p. 4, zu späteren lat. dichtern I p. 62.

lum + [1]) comparata cum Diodori VI frg. 7.4 et Apollod. I 9.7 [2]) ad hypothesin Graecam redire perspicuum est, certe tamen Hyginus, cum ea verteret, versuum Vergilianorum Aen. VI, 585—587 [3]) rationem habuit:

vidi et crudelis dantem Salmonea poenas
dum flammam Iovis et sonitus imitatur Olympi.
quattuor hic invectus equis et lampada quassans etc.

Diodori bibl. IV 4.5, quo loco de Liberi cognomine **διμήτωρ** agitur, et verba fabulae Hyginianae 167 (20.19) *et Bimater est dictus* eidem auctori deberi Bethius p. 32 vidit. Translationem autem cognominis **διμήτωρ** Bimater mythographus ab Ovidio mutuatus est (met. IV, 12; cf. met. III, 317 *bis genitus*). Caput 167 e fabula 179 repetitum ac spurium esse Bursiano concessimus. Attamen haec verba sicut initium capitis, quocum artissime cohaerent (Bethe l. l.): *Liber Iovis et Proserpinae filius a Titanis est distractus, cuius cor contritum Iovis Semelae dedit in potionem,* quae in fabula 179 non inveniuntur, olim fortasse alio libelli loco legebantur et ab interpolatore huc translata sunt. [4])

Similiter verba in fabula 194 de Arione dicta *ut ornatu suo et corona decantaret* non solum Herodotea I 24 **σὺν τῇ σκευῇ πάσῃ** reddunt, sed etiam versum respiciunt [5]) Ovidianum fast. II, 105

capit ille coronam

Ceterum veri simile duco etiam Geryonis cognomen *trimembris* (**Γηρυόνης τρισώματος** Aesch. Agam. 834) in fabula 30 (64.21;

---

[1]) Vidimus haec respici capite 250 (139. 1): Salmoneus, qui fulmina in quadriga[s] sedens imitabatur, cum quadriga fulmine ictus.

[2]) Diod. VI 7. 4: **κατασκευάζων διά τινος μηχανῆς ψόφον ἐξαίσιον καὶ μιμούμενον τὰς βροντὰς ἐβρόντα.** Apollod. I 9. 7: **βύρσας μὲν ἐξηραμμένας ἐξ ἅρματος μετὰ λεβήτων χαλκῶν σύρων ἔλεγε βροντῶν, βάλλων δὲ εἰς οὐρανὸν αἰθομένας λαμπάδας ἔλεγεν ἀστράπτειν.**

[3]) Versus igitur 586, quem Ribbeckius spurium et dittographia ortum esse putat, legebatur altero p. Chr. n. saeculo.

[4]) cf. Schmidt praef. p. XXXVII; c. 155 (13. 1): Liber ex Proserpina, quem Titanes carpserunt.

[5]) Quamquam consensus levior videtur, praesertim cum de rebus pervulgatis agatur; cf. rhetor. ad Herenn. IV 47. 60, Ovid. met. XI, 165. Cetera, quae Schmidtius in hoc capite ex Ovidio pendere censet, vana sunt.

cf. p. 12.23) ad locum poeticum nobis non servatum redire: cf. inscriptionem parietariam Pompeianam CIL. IV 2440 [1])

In fabula 201 verba de calliditate Autolyci sunt (127.16): *ut quidquid surripuisset, in quamcunque effigiem vellet, transmutaretur, ex albo in nigrum vel ex nigro in album* etc. Quam calliditatem Graecis in proverbio [2]) fuisse docent Hesiodi frg. 131 Kinkel: *ὅττι κε χερσὶ λάβεσκεν, ἀείδελα πάντα τίθεσκεν.* cf. Hom. τ 395, Pherecyd. fr. 63: *εἶχε γὰρ ταύτην τὴν τέχνην παρὰ τοῦ πατρὸς, ὥστε τοὺς ἀνθρώπους, ὅτε κλέπτοι τι, λανθάνειν καὶ τὰ θρέμματα τῆς λείας ἀλλοιοῦν ἐς ὃ θέλοι μορφῆς;* Etym. magn. p. 21.25; *ἔκλεπτε τοὺς ἵππους καὶ ἀλλοιοφανεῖς αὐτὸς ἀπετέλει· ἐνήλλασσε δὲ τὰς χροιὰς αὐτῶν* (cf. Kinkelii notam ad frg. Hesiodi). Sed quamquam proverbium a Graecis acceptum esse apparet, tamen sine dubio Hygini animo, cum verbosius exponeret, qua ratione Autolycus pecori aliam speciem induisset, versus obversati sunt Ovidiani met. XI, 313 sqq.

nascitur Autolycus furtum ingeniosus ad omne,
candida de nigris et de candentibus atra
qui facere adsuerat. [3])

Bursianus et Schmidtius [4]) totum caput eicere voluerunt, quod ei inter exempla transformationum locus non esset, atque antecedenti fabulae, quae est de Chione, propter Autolycum Chiones filium adiunctum esse putaverunt. Equidem non video, cur ipsi Hygino non licuerit propter argumenti cognationem, quae est cum capite 200, caput 201 inserere. [5]) At Schmidtius l. l. nonnulla verba capitibus 201. 202. 203 communia manifesta esse interpolationis indicia putavit, e quibus unum tamen hoc gravioris momenti videtur esse: capitis 201 (127.17) verba *ex albo in nigrum* repetuntur capite 202 (128.10). At unde verba illa in capite 201 hausta sint, vidimus. In capite vero 202 recte respondent

---

[1]) Verg. Aen. VI, 289: forma tricorporis umbrae.

[2]) cf. Preller-Robert gr. myth. I p. 409 n. 1.

[3]) cf. Iuvenal. sat. III, 30.

[4]) Bursian Fleckeisen. annal. phil. XCIII, p. 779; Schmidt praef. p. XXVI.

[5]) praeterea cf. verba (l. 19) cum Sisyphi pecus assidue involaret et c. 125 (108. 21): socii involarunt pecus.

verbis hypotheseos Graecae, quam Antoninus Liberalis 20 servavit, quamque a Boeo [1]) et Simmia Rhodio pendere testatur titulus marginalis interpolatus: *Λύκιος δὲ μεταβαλὼν ἐγένετο κόραξ τὸ χρῶμα λευκός, αὖτις δὲ βουλῇ Ἀπόλλωνος ἐγένετο κυάνεος*; cf. Ovid. met. II, 535 sq.

corve loquax subito nigrantes versus in alas.
nam fuit haec quondam niveis argentea pennis.

cf. v. 632. [2])

Quibus exemplis demonstratum est lumina orationis sermoni poetico debita, quae narrationi fabulari passim adsperguntur, ab ipso mythographo profecta esse. Id autem, quod quasi positum ac concessum sumpsimus, firmo argumento comprobatum est fontes Hygini esse Graecos, leviorem esse auctoritatem exemplarium Latinorum. Itaque cum cetera poesis vestigia, quae sunt in fabulis, enumerare in animo sit, iterum iterumque monebimus reliquam narrationem ad compendium mythologicum redire. Ceterum cautissime examinandum esse, num imitatio eiusmodi exstet, supra monuimus. Ea, quae Schmidtius in fabulis 98 [3]) et 148 cum locis Ovidianis contulit, quamquam similitudo quaedam negari non potest, fortasse ipso mythographo inscio in sermonem irrepserunt. Dubito etiam de fabula 75, quam Hyginum ab hypothesi Melampodiae Pseudo-Hesiodeae accepisse extrema verba docent *Iovis ob id fecit, ut septem aetates viveret* comparata cum versu Melampodiae a Tzetza ad Lycophr. 682 servato:

ἑπτά τ' ἐπὶ ζώειν γενεὰς μερόπων ἀνθρώπων.

Cuius rei mentio in narratione Ovidiana met. III, 316—338 deest. Fortasse verba Hyginiana (79.23) *inter Iovem et Iunonem fuit iocosa altercatio* respiciunt Ovidii versum 332: *de lite iocosa*

---

[1]) De Boeo Knaackius egit anall. Alexandr. — Rom. p. 1 sq. et wochenschrift f. klass. philol. 1890 p. 39. Idem omnia, quae de his titulis prolata sunt, contulit anall. p. 2 n. 1.

[2]) Hyginum fabulam, quae est de Coronide, licet prorsus cum Ovidiana concinat, a Graecis accepisse inde intellegitur, quod nomen amatoris Coronidis quod Ovidius omittit, affert. Quamquam forma nominis, quam codex F. praebebat, corrupta est.

[3]) Verba caliginem eis obiecit non a certo metamorphoseon loco (XII, 32) pendent, sed elocutionis Hyginianae sunt in universum poetice coloratae; cf. c. 24 (54. 20) caliginem eis obiecit, c 2 (38. 26) ei caliginem iniecit.

Eadem ratio inter Hygini fabulam 36 Ovidii-que narrationem, quae de apotheosi Herculis est (met. IX, 134—272), intercedit. Nonnulla ita congruunt, ut facile quispiam, nisi de fabula pervulgata agatur Ovidiumque narrationem in brevius contraxisse pateat, utrumque communi hypothesi usum esse suspicari possit. Neque enim poeta [1]) neque mythographus Herculem ex Euboea Trachina navigasse diserte commemorat. Apud utrumque *Lichas* nomen est ipsi saxo, quod vulgo τύμβος Λίχα sive σᾶμα Λίχα appellatur (Preller *gr. myth.* II p. 255 n. 1). Neuter denique Hylli mentionem facit. Hyginum ipsum Graecos adisse alia testantur, quae Ovidius omittit aut quae diverse ab iis indicantur. Unus mythographus Sophoclis Trachinias 672 sqq. secutus Deianiram naturam veneni, quo Herculis vestis imbuta erat, casu ante tristem nuntium cognovisse factique eam paenituisse tradit. Apud hunc praeterea Ioles advenientis forma invidiam Deianirae excitat, apud poetam (v. 145) ante aemulae adventum Lichas mittitur. Sed vestigium narrationis poeticae in fabula esse iamdudum observatum est. Hercules Licham r o t a t u m in mare iaculatus esse dicitur: met. IX, 217. 218

terque quaterque r o t a t u m
mittit in Euboicas tormento fortius undas.

cf. Sen. Herc. fur. 1011

bis ter r o t a t u m misit.

Accedit flosculus in fabula 198, quae de Scylla Nisi filia est, ex Ovidio delibatus. Schmidtius docuit verba (126. 17) *Ille negavit Creten sanctissimam tantum scelus recepturam* respicere versus Ovidianos met. VIII, 99. 100

certe ego non patiar Iovis incunabula, Creten
. . . tantum contingere monstrum.

At argumentum narrationis Hyginianae ab Ovidiana non nihil discrepat, quamquam uterque fabulae formam Alexandrinam [2]) sequitur. Apud mythographum Minos Scyllam, quo facilius Nisum

---

[1]) cf. Hauptium ad versus 165 et 226.

[2]) Vetustior est apud Aeschylum Choeph. 596 s. Inter posteriores Parthenius fabulam tractavit (Eustath. Dionys. Perieg. 420), quem fortasse reddit Ciris Pseudo-Vergiliana; cf. Rohde gr. roman p. 93 n. 3, qui uberius de fabula egit.

vincat, sibi despondet, sed postea destituit: apud poetam Scylla, ut illius gratiam sibi conciliet, patrem prodit. Fabula Hyginiana [1]) praeterea narrat Scyllam se in mare praecipitasse, ut patrem persequentem fugeret. Alias causas Ovidius et alii afferunt. Nisus denique crine amisso apud poetam moritur (v. 85 *vitali crine),* apud mythographum (cf. Ciris 120 sqq.) regno privatur. [2])

Transformationem Nyctimenae, quae capite 204 narratur, Ovidius met. II, 569—595 perstringit. Mythographi fons eius similis videtur fuisse, quem adhibuit anonymus apud Westermann. mythogr. p. 348. 3: *Νυκτιμένη Κλυμένου θυγάτηρ φεύγουσα τὸν τοῦ πατρὸς ἔρωτα κατ' ἔλεον Ἀθηνᾶς εἰς γλαῦκα μετεμορφώθη.* Sed iis, quae de noctuae natura adduntur: *quae pudoris causa in lucem non prodit, sed noctu patet (paret* Iuda Bonutius) versum Ovidianum 594

conspectum lucemque fugit tenebrisque pudorem
celat

adumbrari Schmidtius recte intellexit. Diserte denique Hyginus in capite 80 (82. 4), cum verbum *dicitur* similiter atque fab. 55 (cf. p. 36) addit, se testem locutionis poeticae, quam affert, respicere indicat. Verba: *ideoque dicitur alterna morte redemptus,* de Castore dicta, quocum Pollux frater vitam communicavit, redeunt ad Aen. VI, 121:

si fratrem Pollux alterna morte redemit.

Antecedente fabulae parte narratum est Pollucem, cum stellam accepisset, ab Iove impetrasse, ut frater mortuus munus secum communicaret. Itaque mirum est, quod Hyginus, si alterna morte Castorem redemptum esse explanare voluit, non commemoravit Pollucem ipsum in vicem ad inferos descendisse et *concessisse fratri dimidiam vitam* (astron. II 22). Totam narrationem poste-

---

[1]) Si Tschiassnyus stud. Hyg. p. 12 n. 29 praeeunte Roenschio (Itala p. 388) recte formam persequeretur passiva significatione usurpatam esse dicit. Ceterum Hyginus, cum cirim piscem appellat, non aliam fabulae formam affert, sed errat.

[2]) Tertia fabulae forma exstat in capite 242 (135. 6): Nisus Martis filius crine fatali amisso ipse se interfecit; forma Ovidiana est in c. 255 (141. 15): Sylla Nisi filia patrem occidit. Comparari possunt diversae ac contrariae fabulae, quae de Canaces morte in indicibus proferuntur (Schmidt praef. p. XXXII).

riorum retractatione laborare vel sermonis proprietates, de quibus supra diximus, ostendunt. Sed cave verba nostra temptes collato capite 251 (139. 6): *Castor et Pollux Iovis et Ledae filii alterna morte redeunt;* cf. astr. l. l.

3.

De maioribus mutuationibus.

Paucis exemplis id, quod de Hygini fontibus Graecis constitutum est, redargui videtur. Exstant enim haud ita multi loci, quibus breves adnotatiunculae e poetarum Latinorum carminibus addantur aut argumentum narrationis cum iis, quae illi protulerant, conglutinetur aut tota denique narratio colore quodam poetico ornetur. Me iis, qui librum scholarum usui destinatum esse obliti sunt, sed propter ceteros fontes talia e medio tollere voluerunt, assentiri non posse supra indicavi. Et cum id, quod nobis proposuimus, argumentis probandum sit, quaeritur, num certos locos, qui ad nostram rem spectant, in genuina fuisse recensione demonstrari possit. Exemplis autem eiusmodi statutis de ceteris iam non difficile erit diiudicare. Initium faciamus a loco supra tractatis simillimo, quo nominibus Graecis Latina secundum Ovidium adiunguntur. Ea, quae fabulis 2, 4, 5 de Athamantis insania et de Inus Melicertaeque apotheosi traduntur, Bethius [1]) vidit fluxisse ex hypothesi Graeca, quam argumenta carminum Isthmiacorum, schol. H 86 A D, Paus. I 44. 7 s., alii praestant. Narratio autem Ovidii, quam fast. VI, 473—550 et met. IV, 416—542 explicat, ab Hyginiana paululum diversa est. Nam apud Ovidium (met. IV, 531) Venus apotheosin Inus et filii impetrat, apud Hyginum (c. 2) Liber, quod multo magis cum natura mythi cohaeret, quia Ino nutrix Liberi fuerat. [2]) Quod praeterea narratur (c. 4 et 5) Athamantem in venatione Learchum interfecisse, id magis cum Apollodori verbis 3. 4. 3 *(ὡς ἔλαφον θηρεύσας)* quam cum Ovidii descriptione rhetorica (met. l. l. 515 sqq.) congruit. Nihilominus Hygino sine dubio verba poetae observata sunt, cum nomina Latina Graecis adderet in

---

[1]) rament. mythogr. I (genethliac. Gott.) p. 33 s. Scholium Homericum Philostephanum auctorem nominat.

[2]) cf. Luc. dial. mar. 9. 1: *ἀλλὰ κἀκείνην* (Inonem) *σῶσαι δεήσει χαρισαμένους τῷ Διονύσῳ· τροφὸς γὰρ αὐτοῦ καὶ τίτθη ἡ Ἰνώ.*

fab. 2 (39. 2): *quam Liber Leucotheam voluit appellari, nos matrem Matutam dicimus, Melicerten autem deum Palaemonem, quem nos Portunum dicimus.*

Fast. VI, 545—547

Leucothea Grais, Matuta vocabere nostris:
in portus nato ius erit omne tuo.
quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicet.

Iam quaestio exsistit, num genuina sint verba. Fabula enim, quade agitur, praeter hunc locum capitibus 4 et 5 denuo iisdem fere verbis enarratur. Caput 4 spurium esse Bursiano praeeunte iudicavimus. Et quia capiti 2 verba certe haud ita apte agglutinata sunt, narrationis autem ordo et inscriptio capitis 5 hunc locum postulant, dubium non videtur esse, quin olim loco capitis 5, quod nunc vehementer mutilatum est, amplior narratio de Athamantis insania Inusque rebus fuerit.[1]) Sed propterea, quae in extremo capite 2 inveniuntur, ea pro spuriis habere non licet. Non interpolata, sed e pristino capite 5 illuc translata sunt. Verba enim, de quibus agitur, genuina esse testantur c. 125 (109. 7): *Leucothoe, quam nos matrem Matutam dicimus,* et c. 224 (132. 15): *Leucotheam, quam nos matrem Matutam dicimus;* Serv. ad Aen. V, 241.

Alterum exemplum fabulae, quae de Meleagro sunt, suppeditant. Capita 171. 172 genuina esse et exemplaria prioris partis capitis 174 inde repetitae supra vidimus. Ea, quae Schmidtius cum narratione Ovidiana met. VIII, 260—546 contulit, praeter unum fortasse leviora sunt: verba fabulae 172 *Oeneus cum . . . Dianam praeteriisset* respicere videntur Ovidii versum 278 *praetritae . . Latoidos.*[2]) Sed hoc magis ad elocutionem spectat: aliud gravioris momenti est. Althaea capite 171 lignum fatale in media regia, capite 174 (in genuina quoque parte p. 29. 19) in arca servasse dicitur. Qua discrepantia, quamvis levis vide-

[1]) Idem suspicatus est Ribbeckius röm. trag. p. 33 n. 25.

[2]) Hyginus exemplar Graecum auxilio poetae vertere videtur: cf. Luc. sympos. 25: *ὄψει γὰρ καὶ τὴν Ἄρτεμιν ἀγαναχτοῦσαν, ὅτι μόνην αὐτὴν οὐ παρέλαβεν ἐκεῖνος ἐπὶ τὴν θυσίαν τοὺς ἄλλους θεοὺς ἑστιῶν.* Locus poeticus praeterea obversatur Apuleio met. IV 29, si coniectura Hildebrandii recta est: sacra diae praetereuntur (perferuntur F.)

atur. Schefferus adductus pro *arca* scripsit *area*. Sed etiam Graeci, e quibus Hyginus totus pendet, arcam commemorant; cf. Apollod. I 8. 2 κατέθετο εἰς λάρναχα. Nec licet cum Langio de nexu p. 18 e tali dissensione concludere duas eiusdem fabulae formas ab Hygino indicatas, deinde ab interpolatore pluribus verbis explicatas esse. Immo statuendum est mythographum extremo capite 171 paulum sibi inconstantem fuisse in hypothesi Graeca reddenda, cum acrius ei locus Ovidianus obversaretur, quod recte Munckerus intellexit.

met. VIII, 456—458

excessere deae, flagrantem mater ab igne eripuit ramum sparsitque liquentibus undis. ille diu fuerat penetralibus abditus imis.

fab. 171

Althaea exsiluit de lecto atque titionem extinxit et eum in media regia obruit fatalem, ne ab igni obrueretur.

Tertium autem, quod inter Hyginum et Ovidium mirum quantum concinere videtur, ad communem fontem [1]) redit, ad Nicandri ἑτεροιούμενα (Anton. Lib. II.)

Ovid. met. VIII, 543

praeter Gorgenque nurumque nobilis Alcmenae natis in corpore pennis adlevat.

Hyg. c. 174 (29. 20)

sorores eius praeter Gorgen et Deianiram . . in aves sunt transfiguratae.

Antonin. (Westerm. p. 203. 16)

δύο δὲ τῶν Ἀλθαίας θυγατέρων, Γόργην καὶ Δηιάνειραν, φασὶν κατ' εὐμένειαν Διονύσου μὴ μεταβαλεῖν.

Iam ad eas fabulas transeamus, quae ampliora coloris poetici vestigia praebent. Capite 191 primum de Midae asininis auribus agitur: sequitur de 'vi aurea' eiusdem narratiuncula, quam Ovidianae met. XI, 85—145 simillimam esse [2]) Hauptius vidit.

---

[1]) Recte suspicatus est Schmidtius mus. rhenan. XX, p. 461; cf. Surber Meleagersage p. 91 s. p. 122; Ribbeck röm. trag. p. 519 n. 37.

[2]) Ceterum unus praeter Ovidium Hyginus Liberum deum beneficum fuisse dicit; Serv. Dan. ad Aen. X, 142 Theopompo auctore (cf. ad ecl. VI, 13 et 26, Rohde gr. roman p. 204 s.) Silenum ipsum, Fulgentius 2. 13 Apollinem inducit. Alii, ut mythogr. Westerm. app. fab. 49 p. 377, deum nominatim non afferunt.

Profecto narratio mythographi nonnumquam fere paraphraseos instar est.

met. XI, 100—103	c. 199 (122. 11)
huic deus optandi gratum, sed inutile, fecit muneris arbitrium . . .	*at Midae Liber pater ob beneficium deoptandi dedit potestatem,*
ille male usurus donis ait ‘effice, quicquid corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.’	*ut quidquid vellet peteret a se.* (a)*quo Midas petiit, ut quidquid tetigisset aurum fieret.*
133	
sed miserere, precor, speciosoque eripe damno	*petit a Libero, ut sibi speciosum donum eriperet.*

Fabulam autem genuinam esse et testimoniis et sermonis observatione confirmatur. Quamquam auctoritati Fulgentii mythol. 2. 13 [1]) et Lactantii narrat. Ovid. XI 3, qui caput legerunt et in usum suum verterunt, haud ita multum tribuo. Gravior exstat testis, qui fabulam inter Hyginianas invenit. Is, qui in capite 242 (134. 21) scripsit: *in flumen Lycormam . . . , quod nunc Chrysorrhoas appellatur,* confudit Lycorman cum Pactolo flumine, quode in fine capitis 191 recte dicitur: *quod flumen nunc Chrysorrhoas appellatur in Lydia.* Perspicuum est verba hinc illuc prave ab iis, qui recensionem nostram confecerunt, translata esse, cum in capite 191 respondeant hypothesi Graecae apud schol. Apollon. IV, 1300: *Παχτωλὸς ποταμὸς Λυδίας, ὁ νῦν Χρυσορρόας λεγόμενος.* Quo testimonio fabulam antiquitus lectam esse probatur. Accedit sermonis quidam consensus; cum verbis *quem Midas exceptum* [2]) *hospitio liberaliter accepit* cf. c. 125 (109. 14) *hospitio liberaliter acceptum,* c. 16 (50. 22) *hospitio liberali excepit,* c. 125 (107. 6) *hospitio libere accepit,* c. 195 (125. 10) *cum libera-*

---

[1]) Hyg. Midas petiit, ut quidquid tetigisset aurum fieret. quidquid tetigerat aurum fiebat.

Fulg. Mida rex Apollinem petiit, ut quidquid tetigisset aurum fieret. quidquid tetigerat aurum statim efficiebatur.

[2]) exceptum accepit non est tautologia, sed exceptum hic idem significat, quod deprehensum; cf. fab. 34 (67. 3) et Ovid. met. l. l. v. 91.

liter essent excepti. Locutionem esse Hyginianam caput 51, quod genuinum est, probare videtur comparatum cum c. 50 illinc repetito:

c. 51 (58.5)	c. 50 (58.4)
Apollo autem quod ab eo in servitutem liberaliter esset acceptus.	*Apollo cum ab eo esset liberaliter tractatus, cum in servitium fuit ei traditus.*

Praeterea verba *Liber pater cum exercitum in Indiam duceret* concinunt cum initio fabulae 131 (113.12): *Liber cum in Indiam exercitum duceret.*

Eadem ratio, quam in Midae fabula statuimus, cadit in caput 199, quod de Scylla Crataeidis filia est, cuius argumentum Ovidius met. XIII, 900—XIV, 74 praebet. Hic quoque quasi circumlocutio quaedam orationis poeticae occurrit.

met. XIV, 55.56	c. 199
portentificisque venenis inquinat.	*Circe . . . medicamentis aquam inquinavit.*
59—61	
Scylla venit mediaque tenus descenderat alvo, cum sua foedari latrantibus inguina monstris aspicit.	*quo*[1] *Scylla cum descendisset, ab inguinibus eius canes sunt nati*
71	
in Circes odium sociis spoliavit Ulixen	*quae iniurias suas exsecuta est; nam Ulyssem praenavigantem sociis spoliavit.*

Caput, quod videam, nemo adhuc temptavit: neque est ulla suspicionis ansa. Exitus vere Hyginianus est: *quae iniurias suas exsecuta est;* cf. c. 27 (56.11), 117 (102.12), 58 (60.23), 140 (18.10), 174 (29.19). Rohdio [2]) concedere non possum fabulam

---

[1]) Servius ad Aen. III, 420 eumque secutus Fulgentius myth. 2. 12, qui ceteroquin narrationem Hyginianam videntur novisse, locum, quo Scylla commutatur, fontem, Ovidius (l. l. v. 48) et Hyginus mare fuisse tradunt.

[2]) gr. roman p. 125.

ı ex Ovidii libro depromptam esse. Cuius sententia neque liquam mythographi consuetudinem quadrat neque hoc loco isarie postulatur. Idem enim vir doctus recte monet narram nostram Alexandrinis ignotam non fuisse, quippe quam ab le tractatam esse Athenaeus VII 297 b testetur. Praeterea video, quomodo error scriptoris, apud quem Crataeis parens ae appellatur flumen, ex narratione Ovidiana ortus esse possit. Optime vero id, quod nos statuimus argumentum hypotheseos ae colore poetico exornatum esse, illustrat fabula 185 comparata Ovid. met. X,560—704. Parum recte Hauptius ad h. l. poetam ipuum Hygini auctorem esse censuit. Neque enim sunt pauca in ntae fabula, quae, cum ab Ovidio abhorreant, magnam similitu- ı cum Apollodori bibl. III 9.2 praebeant. Apollodori autem testiım hoc loco adhibere licet: nam quamquam non de Atalanta nei filia, sed de Iasi filia dicit, utramque tamen ab eo confusam c narrationem ad Atalantam Boeoticam pertinere post Welcke- constat. Iam Ovidius Hesiodum [2]) secutus Atalantam nudam certasse tradit: apud Hyginum ea procum fugientem cum telo iitur; cf. Apollodori verba: *ἐτρόχαζε καθωπλισμένη καὶ ληφθέντι μὲν αὐτῷ θάνατος ὠφείλετο.* [3]) Ovidius praeterea ɔmenen et Atalantam in templo Matris Deum in leones con esse narrat, Hyginus in templo Iovis victoris; Apollod l. l.: *κι. . . αὐτοὺς εἰσελθεῖν εἰς τὸ τέμενος Διὸς κἀκεῖ συνουσιάς εἰς λέοντας ἀλλαγῆναι.* [4]) Addo errorem Ovidii, [5]) qui, Atalantam in silvis versatam esse dicit, eam cum altera Ataconfundit, ab Hygino evitari. Sed quamquam dubium non uin fabula e fonte Graeco hausta sit, tamen narrationi flose poeta petitos immisceri iamdudum a viris doctis cognitum

---

[1]) gr. trag. p. 1219; cf. Immerwahr de Atalanta p. 3. 24, quod Ribroem. tragoed. p. 314 neglegit.

[2]) cf. Robert Herm. XXII, p. 445 sqq.

[3]) cf. mythogr. Vat. I 39. Errat igitur Robertus l. l. p. 452, qui hoc nis genus e Pelopis fabula (84) huc translatum esse putat.

[4]) Itaque Roberto l. l. p. 452 concedere non possum commemorationem iterpolatione in hypothesin irrepsisse: immo huius dei mentio multo n fabulae formam Hesiodeam quadrat, quam Matris Deum Ovidianae l. l. p. 451); cf. Immerwahr de Atalanta p. 5.

[5]) Immerwahr p. 5 n. 1.

est; conferas velim verba *quae virtute sua cursu viros superabat* et *qui eam ducere vellet, prius in certamine cursu cum ea contenderet* cum versibus Ovidianis 560. 561

Forsitan audieris aliquam certamine cursus
veloces superasse viros.

et cum versibus 569. 570

nec sum potiunda nisi, inquit,
victa prius cursu, pedibus contendite mecum.

Enuntiatio *edoctus quis usus in eis esset* e versu 651 ad verbum fere deprompta est. Schmidtius praeterea confert verba *illa enim dum colligit et admiratur aurum, declinavit* et versum 667

declinat cursus aurumque volubile tollit

Gravior etiam consensus, qui ad argumentum fabulae spectat, occurrit in fine narrationis cum exitu Apollodoreae comparato.

Apollod.	Hyg.
ἔγημεν οὖν αὐτὴν Μειλανίων.	*hanc cum in patriam duceret,*
	oblitus beneficio Veneris se vi-
καί	*cisse, grates ei non egit.*
ποτε λέγεται [μὴ] θηρεύοντας	*irata Venere in monte Parnaso*
αὐτοὺς εἰσελθεῖν εἰς τὸ τέμενος	*cum sacrificaret Iovi victori, cupi-*
Διὸς κἀκεῖ συνουσιάζοντας εἰς	*ditate incensus cum ea in*
λέοντας ἀλλαγῆναι.	*fano concubuit.*

Unde Hyginus ea sumpsit, quae de Veneris neglecto numine et de eius ultione profert, quae Apollodorus omittit? Verborum consensus docet narrationem hypotheseos Graecae ad Ovidianam accommodatam esse; cf. v. 681—683

dignane cui grates ageret, cui turis honorem
ferret, Adoni, fui? — nec grates immemor egit
nec mihi tura dedit, subitam convertor in iram.

v. 689. 690

illic concubitus intempestiva cupido
occupat Hippomenen, a numine concita nostro.

Ea igitur, quae Hyginus de Veneris ira immiscet, a poeta mutuatus est. Ovidius autem haec videtur novasse ac voluit declarare, cur Venus Adonin, cui fabulam narrat, moneret, ut leones evitaret, quippe qui sibi irascerentur (v. 552). Mirum praeterea

est, quod Ovidius (v. 649) et Hyginus primi [1]) inter testes nobis servatos tria [2]) potissimum mala fuisse tradunt, quibus cupiditas Atalantae excitaretur.

Ratio, qua in hoc capite duae eiusdem fabulae formae coniungebantur, iterum occurrit in capite 135, quod de Laocoonte est, quod quidem Schmidtius praef. p. XXV ab interpolatore Vergilii et Ovidii(!) studioso infersum esse credidit. Paulo rectius Robertus [3]) vidit caput e duabus partibus conflatum esse, quarum una fabulam secundum auctorem quendam Graecum enarratam praebet, altera magis ad Aeneidos librum II accommodata est. Roberti sententiae, qui ipse quoque hanc alteram partem spuriam esse censuit, Foersterus [4]) nuperrime repugnavit. Qui cum me iudice quaestionem ad finem adduxerit, pauca erunt monenda. Ille offendit in verbis *sorte ductus ut sacrum faceret Neptuno ad littus* ex Aen. II, 201 depromptis, cum constructionem interrumpant neque aptam rotundamve esse sinant. Sed licet hunc usum nominativi absoluti per anacoluthi figuram positi supra a genuino exemplari Hyginiano abiudicaverimus, certe in dubium vocari potest, utrum verba a nostrae recensionis auctore interpolata an ab eodem, cum totum caput in breviorem formam redigeret, quod Robertus quoque concedere videtur, laxiore quodam vinculo cum reliqua enuntiatione coniuncta sint. Formulam praeterea *occasione data,* quam post illud participium a mythographo usurpatam esse posse idem vir doctus negat, nullam praebere difficultatem, immo vero aptissimam esse Foersterus monuit Sed utut est, firmissimum est de exitu fabulae iudicium, quem cur cum Roberto interpolatum et e Vergilio pro verbis genuinis illatum esse agnoscamus, omnino non est. Quid? quod ipse Robertus [5]) concedit discrepantiam

---

[1]) schol. Theocr. II, 120, quod Philetam (frg. 15 Bach) laudat, certum numerum non commemorat; cf. Theocr. III, 41 (cum schol.), Catull. 2, 12.

[2]) de hoc numero magico cf. Kehr de poetarum, qui sunt in Anth. Pal., stud. Theocr. p. 25 n. 6; idem quaest. magic. spec. p. 15.

[3]) bild und lied p. 194 sqq.: quo loco ea, quae poetam respiciunt, Schmidtio praeeunte collata sunt.

[4]) in actis philologorum conventus Gorlicensis.

[5]) Dicit de enuntiatione ex Aen. II, 216 deprompta, quae partem genuinam a Roberto statutam sequitur: quibus Laocoon cum auxilium erre vellet, ipsum quoque nexum necaverunt l. l. p. 196: es

inter partem posteriorem et priorem non esse. Neque omnino neglegendum est id studium utramque fabulae formam coniungendi, quod in hoc capite suspicionem viri sagacissimi excitavit, etiam in fabula, quae de Atalanta est, et in aliis exemplis, de quibus infra disputabimus, inveniri. Eodem autem modo scriptor egit, quo Servius ad Aen. II, 201 (cf. Robert l. l. p. 207 s.); cf. imprimis verba Hygini: *quod Phryges idcirco factum putarunt, quod Laocoon hastam in equum Troianum miserit* et Servii: *historia quidem hoc habet, sed poeta interpretatur ad Troianorum excusationem, qui hoc ignorantes decepti sunt.* Roberti vero sententia eo prorsus frangitur, quod in altero quoque capite, quod ad Troiae expugnationem spectat, vestigia Aeneidos libri II sunt, eaque, quae non tam facile possint segregari.

Haud ita multum tribuo verbis, quae in exitu capitis 128 sunt, *alii Cumaeam* (sc. Sibyllam) *dixerunt,* quae ad Vergilium redire videntur, licet iam Timaeus eumque secutus Lycophro 1276 sqq. eam commemoraverint. [1]) Quae quidem Schmidtius praef. p. XXX sibi constans adulterina esse putat. At caput 108, quo agitur de equo Troiano, momentum in quaestione facit. Fons narrationis hic quoque certe Graecus est. Hyginus Epeum monitu Minervae equum ligneum fecisse tradit hypothesin Iliadis parvae secutus, qualem Proclus chrest. (p. 37 Kinkel frg. poes. ep.) servavit: *Ἐπειὸς κατ' Ἀθηνᾶς προαίρεσιν τὸν δούρειον ἵππον κατασκευάζει.* Cuius rei memoria a Vergilio [2]) obscurata est. Alia quoque, quae discrepant, tam manifesta sunt, vix ut enumerare oporteat. Laocoontis res, quas Vergilius cum expugnatione Troiae artissime coniungit, ab Hygino [3]) separatim (c. 135) enarrantur. Quod vero de Cassandra vociferante uterque (Aen. II,

---

wäre zwar möglich, dass auch in dieser version der vater umkam, sei es, dass er, wie bei Vergil, den knaben hilfe bringen wollte und dabei selbst von den schlangen umstrickt wurde etc.

[1]) Maass de Sibyllarum indd. p. 36 s., Preller-Robert gr. myth. p. 282 n. 1.

[2]) Aen. II, 15
equum divina Palladis arte
aedificant.

[3]) Robert bild u. lied p. 196, p. 203 s.

246 s. Hyg. p. 98.6) dicit, id auctoribus Graecis communibus deberi posse docet Quintus Smyrnaeus XII, 525. [1]) Praeterea Hyginus inscriptionem equi, quam Vergilius omittit, profert (cf. Accii Deiph. fr. I = Serv. Dan. ad. Aen. II, 17). Vergilius denique narrat (v. 256) Sinonem, cum regia puppis signa dedisset, claustra equi Troiani revellisse. Hygini autem verba: *Achivi ex equo aperto a Sinone exierunt. . . sociosque signo dato receperunt* magis cum hypothesi Ἰλίου πέρσιδος Arctini (p. 49 Kinkel) concinunt: καὶ Σίνωνα τοὺς πυρσοὺς ἀνίσχει. Ac tamen magnam similitudinem inter narrationem poeticam et Hyginianam esse Ribbeckius [2]) recte vidit: neque omnino fieri potuit, ut mythographus Latinus, cum Troiae excidium referret, Vergiliana evitaret.

Verg. Aen. II, 25	Hyg.
nos abiisse rati	*Troiani . . . arbitrati sunt hostes abiisse*
266.267	
caeduntur vigiles portisque patentibus omnes accipiunt socios.	*portarum custodes occiderunt sociosque signo dato receperunt.*

Cf. praeterea verba: *cum noctu lusu atque vino lassi obdormissent* cum versibus 253. 265 et verba: *Priamus feriati magnopere ut essent edixit* cum Horat. c. 4. 6. 14: *male feriatos Troas.* Sed haec, quae protulimus, magis ad verborum quam argumenti mutuationem videntur esse revocanda. Accedit, quod Hyginus etiam catalogum eorum, qui equum Troianum conscenderunt, poetae debet. [3]) Nam non modo nomina remoto uno Epeo Vergiliano, quem mythographus memoriae vitio cum Diomede confudit, consentiunt, sed nonnulla etiam eodem ordine, quo apud Vergilium, enumerantur: Thessander Sthenelus — Acamas Thoas — Machaon Neoptolemus.

Eiusdem generis sunt ea, quae in c. 182 de nutricibus Liberi

---

[1]) cf. Ribbeck röm. trag. p. 27 s.; Plaut. Bacch. 933, quo loco Naevii Equum Troianum significari putat Ribbeckius l. l. p. 48.

[2]) l. l. p. 26.

[3]) Wilamowitzius Isyll. v. Epidauros p. 49 cum catalogum eicere vellet, reliquum elocutionis consensum neglexit.

proferuntur. Primo obtutu apparet hypothesi Graecae, qualem Apollodorus 3. 4. 3 praebet, aliena esse admixta.

Apollod.	Hyg.
καὶ λαβὼν αὐτὸν Ἑρμῆς πρὸς Νύμφας ἐκόμισεν ἐν Νύσῃ τῆς Ἀσίας κατοικούσας,	c. 179. (35. 22): *quem Mercurius ab igne ereptum Nyso dedit educandum.* c. 182 (35. 18): *hae in monte Nysa munere alumni potitae sunt, qui Medeam rogaverat, et deposita senectute in iuvenes mutatae sunt consecrataeque postea inter sidera Hyades appellantur.*
ἃς ὕστερον Ζεὺς καταστερίσας ὠνόμασεν Ὑάδας.	

Eadem, quae Hyginus hypothesi addit, Ovidius narrat met. VII, 294—296:

viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber et admonitus iuvenes nutricibus annos
posse suis reddi capit hoc a Colchide munus.

Quaestio exsistit, utrum additamentum Hygini e versibus Ovidianis an ex eodem fonte fluxisse censeamus, quo Ovidium usum esse Robertus [1]) sagacissime docuit, ex hypothesi Medeae Euripideae: *Αἰσχύλος δ' ἐν ταῖς Διονύσου τροφοῖς ἱστορεῖ, ὅτι καὶ τὰς Διονύσου τροφοὺς μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν ἀνεψήσασα ἐνεοποίησε.* Ovidius, cum haec in usum suum vertit, ita discedit, ut nutrices neque viros habuisse neque recoctas esse *(ἀνεψήσασα)* commemoret. Itaque quia Hyginus easdem res omittit, veri est simillimum eum narrationem a poeta, non ab hypotheseos auctore accepisse. Accedit elocutionis consensus inter mythographi verba *munere alumni potitae sunt, qui Medeam rogaverat* et poetae

capit hoc a Colchide munus.

Ceterum mythographi error, qui has nutrices easdem atque nymphas Hyadas esse dicit, ex Ovidii narratione in brevius contracta ortus est. Hypothesis enim Graeca docebat illas nutrices nymphas esse non posse, quippe quae maritos haberent ac senescerent. [2]) Ovidius autem utrasque non confudit, sed de nymphis

---

[1]) bild u. lied p. 231 n. 5.

[2]) cf. Hauptium ad met. VII, 294.

alio loco (III, 314) egit. — Non ignoro caput 182 gravibus corruptelis laborare. [1]) Nam et Iovis nutricium mentio inepte agglutinata est et nonnulla nympharum nomina dubitationem excitant, Eratus et Polyhymnus, quae magis ad Musas spectare videntur. Sed cur cetera, quae artissime cum capite 179 cohaerent eique sunt quasi supplemento, in suspicionem vocemus, non est in causa.

Ea, quae capite 31 (65. 17) de Acheloi et Herculis certamine narrantur, ex eodem fonte atque Diodori IV 35. 4 et Apollodori II 7. 5 hausta esse Bethius quaest. Diod. p. 73 vidit. Adduntur de cornu Acheloi haece: *cui Hercules cornu detraxit. quod cornu Hesperidibus sive nymphis donavit, quod eae* [2]) *pomis replerunt et cornu copiae appellarunt.* Quibus verbis suppleri possunt versus Ovidiani met. IX, 87—89

naides hoc, pomis et odoro flore repletum,
sacrarunt, divesque meo Bona Copia cornu est.
dixerat et nymphe etc.

Fabulae formam, quae Acheloi atque Amaltheae, id est Bonae Copiae, cornu idem esse narrat, Graecis notam fuisse Strabo X 458 [3]) testatur eamque ab Hygino inde sumptam esse vel ex eo intellegitur, quod Ovidius Hesperidum mentionem non facit. Illud autem unum inter utrumque mirum in modum convenit: et poetam et mythographum [4]) cornu a nymphis consecratum esse commemorare. Et quoniam sine dubio verba Hyginiana *quod eae pomis replerunt* Ovidii illud

pomis et odoro flore repletum

respiciunt, Ovidium huius additamenti auctorem esse nostro iure censebimus. Ad versus praeterea poetae 87 et 89 diserte spectant verba: *sive nymphis.*

Similis ratio inter fabulam 65, quae est de Alcyone, et Ovidii met. XI, 410—748 intercedit. Narratio Hyginiana e dua-

---

[1]) Schmidt praef. p. VIII; Robert Eratosth. cat. p. 235.

[2]) deae cod. F; eae corr. Munckerus.

[3]) cf. Bethe l. l. Preller-Robert gr. myth. p. 35 n. 4.

[4]) Sequitur eos Lactantius schol. ad Theb. IV, 106: illud nymphae omnibus bonis repleverunt datumque est Copiae, quae est ministra Fortunae. Unde in Boetio (Horatio corr. Munckerus: carm. saec. 60; cf. epp. I 12. 29, carm. I 17. 16; Ovid. fast. V, 124; Petron. 29 6): Copia pleno cornu; cf. Lactant. narr. Ovid. IX, 1.

bus partibus composita est, quarum una ad res mythologicas, altera ad alcedinum naturam spectat. Ac prior quidem pars idem, quod Ovidius, in brevius contractum narrat: mythographus non, ut erat in vetusto mytho, [1]) Ceycem propter superbiam transformatum esse dicit, sed cum Ovidio poetas Alexandrinos secutus naufragium illius [2]) et amorem Alcyones commemorat. Sed nihilominus hanc partem a poeta accepisse non potest, quia nonnulla nomina Ovidio ignota occurrunt, Philonidis, quae etiam a Conone narrat. 7 cum Hespero consociatur, et Aegiales, cuius nomen cum propria Alcyones natura [3]) videtur cohaerere. Statuendum est igitur utrumque sive hypothesin, qua uterque utebatur, ex communi auctore pendere, quem Nicandrum esse Schneiderus [4]) probavit. At posterior pars sine dubio Ovidium respicit, quod Schmidtius perspexit; cf. verba: *hae aves nidum ova pullos in mari septem diebus faciunt hiberno tempore* et Ovid. XI, 745

perque dies placidos hiberno tempore septem.

Graeci [5]) autem non septem, sed quattuordecim dies alcyonios numerabant, septem ante partum et septem post partum. Sed Hyginus et Lactantius Placidus ad Theb. IX, 361 et Lactantius narrat. Ovid. XI, 10 Ovidium sequuntur, qui septem tantummodo dies placidos vocat. Verba Hyginiana legit Servius, qui dies alcyonios Hyginum secutus alcyonia appellat (ad georg. I, 399; mythogr. Vat. I 9).

Extremum exemplum adnotationis, quae ex Ovidio fabulae secundum Graecos enarratae additur, caput 123 est, quo de Neoptolemo agitur. Fabulae enim, quae ceteroquin [6]) tragicorum argumenta reddit, ultima verba (106. 1): *cuius ossa per fines Ambraciae sparsa sunt, quae est in Epiri regionibus* sumpta esse ex Ovid. Ibid. v. 301. 302 Schmidtius mus. rhenan. XX, p. 461 intellexit:

---

[1]) Apollod. I 7. 4; schol. Il. *I*, 561; Preller gr. myth. II p. 249.

[2]) Ceterum id, quod solus Ovidius de corpore Ceycis ad oram allato narrat, mire cum iis convenit, quae de morte Leandri et Herus traduntur.

[3]) *ἀκταία ὄρνις* Apollon. I, 1087; Preller l. l.

[4]) ad Nicandri fr. 64 = Prob. ad georg. I, 399; Rohde gr. roman p. 125; Knaack anall. Alex.— Rom. p. 54.

[5]) Aristot. hist. an. 5, 8; schol. Apoll. I, 1086; schol. Theocr. Ambros. 7, 57; Plin. nat. hist. 10, 90; Preller l. l. p. 294 n. 4.

[6]) Lange de nexu p. 51; Preller gr. myth. II p. 467 n. 2—5.

nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant
sparsa per Ambracias quae iacuere vias.

Quae verba ne Schmidtius quidem, quamvis sibi non constans, temptare ausus est (praef. p. XXXI n.)

De fabulis, quae vestigia poetica praebent, quaestionem ad finem perduximus. Restat, ut pauca de indicibus addamus. Primum igitur statuimus Schmidtii sententiam corruisse, cui praef. p. XXX parum veri simile videbatur scriptorem ex Graecis totum pendentem Latina et aliena admiscuisse. Sine dubio negari non potest haec capita, quibus indices continentur, quippe quae licentiam posteriorum fere provocarent, multum temptata esse, fortasse multo magis quam fabulas ipsas. Testimonio sunt gravissimae illae corruptelae in codice F. traditae, quae ne in fabulis quidem inveniuntur. Fortasse non casu accidit, ut talia additamenta, qualia Schmidtius segregavit, saepius in extremis potissimum capitibus legantur. At hic locus aptus iis fuit, quae scriptor, postquam fabularum argumenta paucis iteravit, de suo addebat. Perspicuam interpolationem Schmidtius l. l. in capite 254 indagasse mihi videtur. Nereidum quoque catalogus in capite genealogico (p. 10. 14—21), quem his exemplis propinquitatis causa adiungere liceat, gravissimos inicit scrupulos.[1]) Attamen ne Schmidtius quidem omnia, quae ad poetas Latinos redeunt, ex indicibus expellere ausus est; cf. c. 240 (134. 9): *Helena Iovis et Ledae filia Deiphobum Priami filium* occidit (Verg. Aen. VI, 511); c. 249 (138. 9): fax *Helenae, quam de muris ostendit et Troiam prodidit* (Aen. VI, 518). Id, quod ille de capite 252 disputat, contrariam sententiam mihi confirmare videtur. Nam ex eo, quod locus Vergilianus Aen. XI, 571 non modo in ipso capite, sed etiam in inscriptione, quae desiderari non potest, respicitur, multo magis probabile fit verba esse genuina. Cetera exempla, quippe quae vir doctus nullis de interpolatione certis argumentis allatis contulerit, commemorare opus non est.

---

[1]) Woelfflin mus. rhenan. vol. XX, p. 292. 293; Schmidt praef. p. XXXI. Quamquam mirum est Arethusam, cuius nomen hic inter Nereides Vergilianas occurrit, etiam in c. 157 (14. 2) Nerei filiam appellari.

Vita.

Natus sum Joannes Dietze Chemnitiensis a. d. XVI Kal. Sept. a. LXIX patre Ernesto Aemilio rerum postalium secretario superiore, matre Lina e gente Protze. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus in gymnasio Hannoverano, quod nomen ab imperatore Guilelmo ducit, cum parentibus Altonam migravi gymnasiique Christianei fui discipulus. Cuius praeceptores optimarum artium studium magnopere in me aluisse grato cum animo profiteor. Vere anni LXXXVII maturitatis testimonio instructus Berolinum me transtuli, ut studiis philologicis operam darem. Post duo semestria universitatem Monacensem petii, ubi Schoellii beneficio exercitationibus seminarii philologici intereram. Auctumno eiusdem anni Kiliam migravi. Blassius et Forchhammerus benigne mihi concesserunt, ut per tria semestria sodalis ordinarius seminarii philologici essem. Praeterea adfui exercitationibus philologicis Brunsii et Foersteri, historicis Busoltii, theodiscis Vogtii, Geringii, Erdmanni. In scholis me hice viri docuerunt: Blass, Bresslau, Bruns, Diels, Erdmann, Foerster, Glogau, Krohn, Paulsen, Robert, R. Schoell, Vahlen, Vogt, Woelfflin. Quibus viris cum omnibus gratias agam, tum in perpetuum obligatus sum Blassio, Brunsio, Foerstero, qui et studia mea liberaliter adiuvabant et ceteroquin auctoritate ac benevolentia me prosequebantur. Foersterus mihi, cum hoc opusculum conficerem, numquam defuit.

Sententiae controversae.

I.

Hyg. c. 205 (129. 1) scribo: *tu licet Solis cursum aequaris (sequaris* F.).

II.

Fragmenta Archilochi 89—91 eandem fabulam Aesopeam (29) reddunt.

III.

Propert. IV (III) 1. 1 lego:
Callimachi manes Coi et simulacra Philetae.

IV.

Schoemanni sententia, quam de Prometheo Aeschyli protulit, cum multis argumentis tum testimonio Philodemi περὶ εὐσεβ. p. 41 G. refutatur.

V.

Aeschyli opinionem, qui Prometheum fingit deum eumque antiquiorem dis Olympiis esse saepius monet, etiam in religione Attica viguisse docet schol. Soph. Oed. Col. 56.

VI.

Goethii carmen, quod Prometheus inscribitur, a dramatis fragmento, quod eundem titulum prae se fert, prorsus secerni non potest.

Lh 13.35
Quaestiones Hyginianae.
Widener Library
005173733
3 2044 085 205 3